tui pars, peſte, & fame, & gladio in medio tui morietur, & conſumetur, & in circuitu tuo cadet. Hæc ex lege veteri dicta ſint ſatis.

Cæterùm Servatoris noſtri præſagia referamus, qui *Lucæ cap.*21. ait: Inſurget gens contra gentem, & regnum adverſus regnum, & terræmotus erunt per loca, & peſtilentiæ, & fames, terroreſque de cœlo, & ſigna magna erunt, *& reliqua*.

Anno quoque à Chriſto nato 590. validiſſima fuit peſtis, quæ præter cæteros Pelagium occidit, quæ inguinaria dicta fuit, cujus tanta vis extitit, ut ſi quis oſcitaſſet, vel ſternutaſſet, ſtatim moreretur. Hinc ſigno Crucis os ſignari, & ſternutantibus dici, ave, initium habuit, pro qua peſte fuganda, cùm ad Deum preces, rogationeſque Divus Gregorius Magnus funderet, juxta Adriani molem vidit Angelum, ſanguine conſperſum enſem mundare, & abſtergere, & in vaginam recondere, vocemque ſic dicentem audivit. Regina cœli lætare, Halleluia: Quia quem meruiſti portare, Halleluia: Reſurrexit ſicut dixit, Halleluia. Quibus Divus Gregorius ſtatim ſubdidit: Ora pro nobis Deum, Halleluia, *Hæc Platina in vita Pelagii ſecundi, & Gregorii primi, & Blondus lib. 4. hiſtor. Paulus Diaconus lib.3. & Petrus Meſſia in vita Mauritii Imperatoris*.

Fuit etiam Romæ peſtis à partu Virginis 533. quæ non tantùm Romam, ſed alia Italiæ loca occupavit, quo tempore multis bonus, & malus apparuit Angelus veru manibus geſtans, quo quoties alicujus januam percutiebat, tot è domo illa mortui efferebantur. Eo tempore cuidam revelatum fuit; peſtem extinctum iri, cùm in Eccleſia Divi Petri ad Vincula, Divo Sebaſtiano altare erigeretur, ibique ſupplex populus ad Deum preces effunderet, quo perfecto opere, peſtis evanuit. *Paulus Diaconus lib.6.* Quod altare hodie quoque in dicta Eccleſia cernitur, & colitur.

Hæc igitur, & hujuſmodi alia, nobis demonſtrant peſtem à Deo altiſſimo in inferiora interdum mitti, ut mortalium peccata puniantur, & corrigantur; ejuſque iræ ultricem, & miniſtram eſſe. Studeant itaque mortales, ſervare legem Domini exercituum, ne peccatorum multitudine, & pervicacia Dei iram in ſe provocent, peſteque puniantur, & intereant.

* CAUSÆ SECUNDUM ASTROLOGOS. UBI, ET DE PROGNOSTICIS NONNULLA.

Aſtrologi tunc peſtem fieri aſſerunt, cùm aer malo quodam modo, à corporum cœleſtium variis aſpectibus humanæ naturæ inimicis vitiatur. Quando ſcilicet fit conjunctio Saturni cum Marte, in Geminis, aut Virgine à Jove, & Venere non impedita, necnon & conjunctio Jovis, & Martis. Quæ non tantum peſtem, ſed & alia generalia mundi accidentia, ut famem, & terræ motus, inundationes, aeriſque maximas perturbationes ex ſideribus, præcipuè ex luminarium Eclipſibus interdum mortalibus ingruere peritiſſimi Aſtrologi obſervarunt. Quæ Eclipſes non omnes, ſed certis affectæ modis hæc præſtare poſſunt: hoc vel maximè, quando Solis, & Lunæ defectus, in partibus ſignorum contingunt; ex quibus hoc, vel illud ſignificatur: ut quando Eclypſis in ultimis decem gradibus fit, famem, peſtemque inducit: idem quoque Luna deficiens in medio denario Arietis efficit.

Et in univerſum alterutrius labor in ſignis Geminorum, Libræ, & Aquarii, famem, & ſæviſſimas ægritudines, atque peſtiferas inferunt, præſertim cùm infauſta è Saturni radiatione, vel Martis Eclypſium ſignificatis atteſtatur. Dummodo à fauſta Jovis, & Veneris radiatione mitiora omnia non reddantur.

Omitto jam, quòd lucis defectus in ſupernis magnis luminaribus, manca, & imperfecta hæc inferiora reddunt, & efficiunt. Siquidem ab eorum lumine inferiora cuncta producuntur, & vivunt. Quod *Galenus 2. de diebus decretoriis c.2.* de Luna loquens, his verbis demonſtravit: Omnia ſiquidem, quæ facere nata eſt, ubi falcis figuram repræſentant, languida ſunt. Invaleſcunt omnia, cùm plena fuerit. *Hæc de Luna*.

Nunc de defectu luminis Solis dicamus, à cujus Eclypſi peſtis à Partenopeo partu 538. originem traxit, *teſte Paulo Diacono lib.6.*

Anno quoque 703. à partu Virginis, à Solis, & Lunæ Eclypſibus, immò ab eorum inſolita obſcuratione die tertia Maii valida peſtis Italiam invaſit, à qua Agaton Pontifex interfectus fuit, *Platina in vita dicti Pontif. Blond. lib.9. & Tarcagnotta eodem lib.*

Anno rurſus 260. à Chriſto nato, præter cætera prodigia, Sol per plures dies lumen amiſit, quo tempore tam ſæva, & rabida peſtis Romam occupavit, ut uno die ad quinque millia extincti jacuerint. *Pet. Meſſia in vita Galieni Imperatoris.*

At non ſolùm corpora cœleſtia vario eorum motu, lumine, & influentia peſtem efficere valent: ſed & ignitæ apparitiones, quæ in ſublimi ſunt, μετέωρα Græci vocant, vi corporum cœleſtium elatæ peſtem parere poſſunt. Hujuſmodi ſunt ſtellæ cadentes, cometæ, faces, Soles plures, & ſimilia.

Verùm non omnia hæc præſtant, ſed quæ potentiorem cauſam habent, ut cometæ, plures Soles, & ſimilia: quibus valida exhalatio, vi corporum ſuperiorum ſurſum lata ineſt, quæ præter id, quod aerem ſicciorem reddit, modo etiam malo ipſum immutat, ut cæteris concurrentibus peſtem cauſet, atque producat, ut anno 462. ante Chriſti adventum accidit. Quo tempore viſum fuit cœlum ardere, & multi igne in aere, præter cætera tremenda, timendaque apparuere, *auctore Livio libro 2. Dionyſio Halicarnaſſæo lib.9. & Tarcagnotta lib. 21. volum. ſuæ hiſtor.*

Anno 174. ante Chriſtum natum, præter alia prodigia tres Soles viſi fuere, multæque ignitæ faces è cœlo ceciderunt. *Livius lib.5. Decad.1.*

Anno 985. à partu Virginis ſtella cometa apparuit. *Platina. in vita Clementis V. & Petrarcha in vita Pontif.*

Anno rurſus 1340. comata ſtella apparuit, *teſte Leonardo Aretino l.6. Joan. Villano l.11. 2. part. & Petro Marcello in vita Ducum Venetiarum*, in quibus ſupradictis temporibus validiſſimæ peſtes fuere: quæ aliquando unum quandoque alium, & utplurimùm varia loca, ut ſuis locis videre licet, occuparunt: præcipuè tamen loca, ſupra quæ dictorum accidentium Zenith, viſum fuit.

Sed animadvertere oportet dictas apparitiones, virtutes corporum cœleſtium ſequi, quæ majorem, minoremque poteſtatem, celeriorem, tardioremque effectum producunt, pro cœli, & locorum varietate, in quibus reperiuntur, & pro majori, & minori exhalationis copia, in qua fundantur: nec non pro majori minorive eorum duratione. Etſi arbitrio Dei altiſſimi, ut cætera omnia regantur, & gubernentur: cujus hæc omnia, & cœlum ipſum inſtrumentum eſt.

SECUNDUM PHILOSOPHOS.

Philoſophi cauſam Epidimiæ in aerem transferunt, qui putrefactus peſtem producere conſuevit. Putreſcit autem potiſſimùm à caliditate extranea, & ab humiditate ſuperflua, etſi à cæteris qualitatibus id præſtari etiam poſſit.

Unde *Averrhoes 4. Colliget. cap.14.* poſtquam dixit aeris intemperiem in una qualitatum ægritudines ſibi ſimiles generare, ſubdit deinde: Aer verò peſtilentialis non ratione intemperiei in una qualitatum, ſed à ſuæ ſubſtantiæ corruptione peſtilens efficitur.

Hoc autem propter multam pluviam contingit, & præcipuè in æſtate. Quam ſententiam *6. Colliget cap.*11. confirmavit dicens: A caliditate extranea, & ab humiditate ſuperflua putrefactionem generari.

Hanc veritatem *Galenus 1. de diff. febr. c.4.* ſic inquiens comprobavit: Cùm aeris temperatura à naturali habitu ad caliditatem, & humiditatem immodicè converſa fuerit, peſtilentes quidem oriri morbos neceſſarium erit.

Eodem modo inundationes peſtem cauſare credimus, quæ largam, longamque pluviam ſupponunt. Non enim omnis humiditas cauſa peſtis eſſe poteſt, ſed quæ diuturnitate cæteris concurrentibus aerem corrumpere valet: ut anno ante Domini adventum 363. à Tyberis exceſſu contigit, *teſte Livio, & Valerio Maximo.*

Anno quoque 27. ante Natale Redemptoris, à Tyberis Romæ exceſſu valida peſtis originem habuit. *Dion. l.45.*

Anno præterea 611. à partu Virginis, ob immenſas, & diuturnas pluvias maximum fuit diluvium, à quo totam Italiam peſtis occupavit. *Platina in vita Bonifacii IV.*

Frigiditas verò, & ſiccitas, per ſe peſtis cauſa non ſunt, cùm per ſe putredinis cauſa non exiſtant.

Siccitas verò poteſt eſſe cauſa peſtis, ſterilitatem inducens: ut anno 363. à Chriſto nato evenit, quo tempore cùm multis menſibus non pluiſſet, ſterilitas maxima ſucceſſit: propter quàm cùm convenientia cibaria mortales non habuiſſent, ferarum cibos comedere coacti ſunt. Unde humores in ipſis geniti, quia putredini erant obnoxii, peſtis cauſa eſſe potuerunt. *Sozomenus lib.6.*

Cæterùm in univerſum ſciendum eſt, quod ſicut temperatæ temporum temperaturæ ſanitatem: ita intemperatæ ægritudines, & illas varias pro varietate intemperaturarum parere conſueverunt: *ut 1. problematum Ariſtoteles, & 3. Aphoriſmorum Hippocrates*, multis problematibus, & aphoriſmis docuere: ad quæ loca brevitatis gratia Lectorem remittimus.

Infectio autem aeris multis ex cauſis contingere poteſt. Vel enim à terræ putredine vitiatur, quæ cauſatur ab exhalationibus venenatis, & graveolentibus, cadaveribus inſepultis, &c. Immò à locuſtis mortuis infici aer poteſt, ut Africæ contigit, *teſte Paulo Oſorio lib.4.*

In Gallia quoque ex eadem cauſa anno 864. peſtis accidit. *Ita Greg. Turonenſis l.6. hiſtoriar. cap.44.*

Anno ſimiliter à Chriſti natali 900. ex vermibus à pulvere ortis, peſtis originem traxit. *Bernardin. Corius in prima ſua parte.*

Ab animalibus quoque plurimo veneno ſcatentibus peſtis aliquando originem habuit, ut draconibus, pravo halitu aerem inficientibus juxta Athenas. *Gainerius in tract. proprio, ex Ariſtot. l. de cauſis proprietat. elementorum cap.1. in fine* accidiſſe teſtatur.

Anno quoque circiter 590. cùm adeò Tyberis excreviſſet, ut urbis mœnia ſuperaſſet, extra flumen draco cum aliis parvis draconibus relictus fuit, à quibus tantum vitiatus eſt aer, ut inde peſtis inguinaria appellata initium habuerit, *teſte Platina in vita Pelagii II.*

Interdum à barathro pravam, venenatamque evaporationem jaculante, peſtis originem trahit. *Aretius 1. ſerm. 3. tetrabilis cap.94.*

Idem quoque à latrinis, & cœmeteriis evenire poteſt, & ut uno verbo multa complectar, ab omnibus rebus putridis, etſi magis ab una, quàm ab altera, prout majorem in ſe putredinem retinet, oriri peſtem certiſſimum eſt: præſertim ſi putredo omnibus numeris fuerit abſoluta.

Fit præterea peſtis ab aere diù in aliquo loco incluſo, ut tempore Antonini Pii poſt Chriſti adventum 162. evenit: quo tempore validiſſima fuit peſtis, cujus ab Aſia fluxere contagia. In Aſia verò à diù clauſa urna originem habuit, quam Imperatoris milites, ut inde aurum raperent, cùm aperuiſſent, auri loco, peſtem rapuerunt.

Eodem modo terræmotus peſtis cauſa eſſe poſſunt, diro in profundo latente vapore, qui pigritia, longo ſitu, & æterna nocte torpeſcit, ad cujus exitum purus aer vitiatur: Sicuti non ſolum Romæ, ſed toti Italiæ anno 434. evenit; quo tempore à terræmotu multa ædificia in Romano Comitatu diruta fuere, & tribus annis ſæviſſima dicta loca peſtis detinuit. *Livius lib.4. Dionyſ. Halicarnaſſ. l.10. & Tarcognotta par.2. l.13.*

Anno ſimiliter 260. à Virginis partu adeò validi fuere terræmotus, ut plurima ædificia diruta jacuerint, quæ millia hominum multa necavere. In Aſia itidem plures evertit civitates, & ab apertione terræ, adeò magna copia aquæ ſalſæ ſcaturiit, unde lacus naſceretur. Mare verò ſic pertranſit fines ſuos, ut multas ſubmerſerit civitates. Quo tempore tam valida Romæ fuit peſtis, ut una tantum die quinque millia virorum extincti jacuerint. *Pet. Meſſia in vita Gallieni Imperat.*

Idem quoque ex appetitione Putei in Campania contigit, in quodam caſtro Nicolini de Beccaria, à cujus apertione ob diuturnam clauſuram adeò infecta, venenataque evaporatio exiit, ut inde purus inquinatus aer peſtis cauſa eſſe potuerit.

Fuit adhuc validiſſima peſtis, à terræmotibus orta anno Domini 1232. quæ decem è viris unum duntaxat incolumem reliquit: in qua à Divo Rocho Montis-Peſſulani in infirmis curandis charitas eximia effulſit, & forſan, ut divi nomen acquireret, & ſuper peſtem poteſtatem habere putaretur, occaſio fuit, *auctore Platina in vita Gregorii IX. & Blondo l.27. in lectione dicti Sancti.*

Audiamus & Marc. Ficinum cauſas peſtis inveſtigantem. Sic enim ſcribit. Peſtis vapor accenditur, ubi major eſt naturæ ſimilitudo, & in corpore recrementis pleno, cum fœditis intus & extra vaporibus, & in cibis, humoribuſque ſuperfluis, ad inflammationemque, & putredinem aptis, & ubi calida eſt materia, & humida, vel cor coitu debilitatum: & in corpore paſſionibus animæ defatigato, & ultra modum calido, & quod balneis aſſuetum eſt, cujus pori ſunt nimis patentes, ſeu multum oppilati. *Ficin. in Epid. antidoto c.3.*

Peſtis vapor omnem maculare poteſt humorem, ſed potiſſimùm ſanguinem, ſecundò choleram, tertiò phlegma, quartò melancholiam: ideò priùs ſanguinei huic periculo ſubiiciuntur: deinde cholerici, poſteà phlegmatici, poſtmodum melancholici: quia humor frigidus, & ſiccus ad inflammationem, & putredinem ineptus eſt, & ſtrictos habet meatus. *Idem Ibid.*

Peſtis vapor creatur in aere, univerſalioris peſtis tempore ex malignis quibuſdam conſtellationibus, præſertim ex Martis cum Saturno in ſignis humanis conjunctione, ex luminarium eclypſibus: & in his locis graſſatur, quæ aſcendentem ſuum ob prædictos ſyderum aſpectus informatum habent. In particularibus peſtilentiis fit ex ventis, & malignis lacunarum, & cloacarum vaporibus, & pariter ex terræmotibus, &c. *Ibid.*

Non eſt prætereundum, quod ſcribit *Paulus Diaconus*. Anno V.C.384. ingens Romam univerſam peſtilentia corripuit: non, ut aſſolet, plus minuſve ſolito tempore turbata temperies; hoc eſt, aut intempeſtativa ſiccitas hyemis, aut repentinus calor veris, aut incongruus humor æſtatis, aut autumni divitis, pinguis, & indigeſta illecebra: inſuper etiam expirata de Calabris ſaltibus aura corrumpens, repentinos acutarum infirmitatum afferre ſolita tranſcurſus: ſed gravis, diuturnaque, in nullo diſpar ſexu, in nulla ætate diſſimilis, generali cunctos per biennium jugiter tabe confecit: ut etiam quos non egit in mortem, turpi macie exinanitos dimiſerit. *lib. 2. c. 2.*

* CAUSÆ INTERNÆ.

Cauſæ peſtis interiores ſunt humores, vel ſpiritus in cordis ſinibus contenti, aut corpus ipſum viſceris excedenti putredine infecti, aut ut Avicennæ placuit, quod circumdat ipſum de humiditate, & quibus omnibus febris peſtilens generatur.

Hæc autem antecedentes, & extrinſecas cauſas ſupponunt, ut pravos cibos, & potus, *teſte Hippocrate 2. de nat. humana, text.3.*

Quandoque etiam ab ingenti penuria peſtis producitur, uti anno 363. evenit. Propter nimiam enim ſiccitatem, quæ illis temporibus extitit, cùm multis menſibus non pluiſſet, valida penuria, & inde peſtis rabida exorta fuit. *Sozom. l.6.*

Neque hoc mirum, nam cùm cibos idoneos non haberent mortales, pravis, & ferinis nutriri coacti fuere, à quibus humores geniti, præter id, quod facillimè corrumpebantur, tantam potuerunt habere putredinem, ipſamque in contentis à corde, vel in ipſius corpore reſidere, ut indè peſtis oriri commodè potuerit, ut docet *Galenus 1. de ſuccorum bonitate, & vitio, in principio: necnon 1. de differ. febr. cap.3. & 4.*

Uſus quoque rerum, quæ acres, & acutos generant humores, necnon fervori, & ebullitioni obnoxios: ut ſunt cœpæ, allia, aſcalonitæ, pulticulæ, carnes pingues, præſertim porcinæ, butyroſa omnia, vina dulcia, fructus, quia natura ad putredinem proni ſunt, cùm humiditate plurima ſcateant, peſtem producere poſſunt. *Raſis lib.4. cap.25.*

Veriſſimum verò eſt ab humoribus putredini paratis calidiori concurrente aere, etſi non corrupto, aut venenata aliqua qualitate prædito, peſtem aliquando fieri poſſe: ut in peſtilentia, quæ anno 68. à Chriſto nato Romæ contigit, quæ ab aere corruptio minimè facta fuit, *auctore Cornel. Tacito lib.16. ſuæ hiſtoriæ, & Tarcagnotta in 2. part.* uti quæ anno 1576. & 1577. in variis Italiæ partibus graſſata eſt. Quæ per ſimplex contagium præter id, quod aer aliqua putrida, aut venenata qualitate concurrerit, principium habuit, & incrementum.

* SIGNA PRÆCEDENTIA.

Signa peſtem præcedentia, quamvis infallibilia non ſint, varia inter ſe exiſtunt: nam aliqua è ſuperioribus mundi partibus, altera verò ex inferioribus.

E ſublimi ſunt ignitæ apparitiones, ut capræ ſaltantes, faces, cometæ, ſoles plures, inſuetæ ſtellæ, quandoque ſolæ, aliquando verò cum aliis conjunctæ, de quibus *Lucanus*:

Ignota obſcuræ viderunt ſidera noctes.
Ardentemque polum flammis, cœloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris, & terris mutantem regna cometem.

Hujuſmodi etiam ſunt ſiderum quædam conjunctiones, & aſpectus: uti ſolis, & lunæ Eclypſes, quæ præter id, quòd ſigna ſunt, cauſæ quoque jure merito appellantur.

Inferiora verò ſigna varia, & ipſa numerantur. Nonnulla A namque ſunt ab aere, alia ab aqua, tertia à terra, quarta à corporibus.

Ab aere ſigna erunt, ſi proprias temperaturas pro diverſis temporibus, & anni conſtitutionibus non ſervat: hoc vel maximè ſi caliginoſus, nebuloſuſque, cùm pauca pluvia fuerit, vel ſi pluviæ erunt diuturnæ, auſterque, & ſubſolanus anni conſtitutionibus dominentur. Similiter ſi æſtas æſtuoſa fuerit, *ut de peſte ex Thucidide 1. de diff. febr. docuit Galenus*. Inſuper noctè frigus, die verò validus calor ſentiatur: ut ſi eadem die, modò calor, & modo frigus mortales exerceat, tunc autumnales morbos portendit, qui morbi in univerſum acutiſſimi, & pernicioſiſſimi exiſtunt, qui & peſtilentes fient, ſi humores ad putredinem concipiendam erunt valdè parati.

Signum præterea aeris corrupti erit, ſi aves derelinquentes ova in nidis, ad alias regiones confugiunt.

Ab aqua verò ſigna erunt, ſi animalia, quæ in aqua ex putredine ortum habent, præter modum, & naturæ ordinem in majori copia generabuntur. Rurſus ſi animalia, quæ promiſcuè in aqua, & in terra vitam degunt, ab aqua exeuntes in eam B ampliùs non revertuntur, & eo maximè ſi in ea permanere conſueverint, ut anates, anſeres, & ſimilia. Inſuper ſi piſces, dum ab aqua removentur, ſtatim putreſcunt, vel in ea commorantes intereunt, quod in lacuſtribus locis maximoperè evenire conſuevit.

A terra ſigna erunt, *teſte Aetio l. 1. 2. tetrab. cap. 95.* ſi quadrupedum corruptio continget: ſimiliter ſi quæ ex putredine gignuntur, quibus terra impura eſt mater, pater verò eſt ſol, præter modum in majori copia producentur, ut ranæ, locuſtæ, muſcæ variorum generum, mures, & reptilia. Quæ animalia à facie terræ aufugient, & loca propria, & forſitan ova derelinquent.

Terræmotus quoque peſtem prænuntiant.

Fructus etiam ſi marcidi ſunt, & facilè putreſcunt, copiave exigua reperiantur, idem ſignificant: & ſi non minus aerem vitiatum demonſtrent; tunc quod à Propheta Pſalm. 58. dictum eſt, continget. Et dedit ærugini fructus eorum, &c.

A corporibus peſtis nunciatur per ea, quæ dictis corporibus accidunt, vel ſi à variolis, & morbillis corripiantur, & eo maximè ſi non tantùm parvulos, ſed adulteriores, & ſenes deti- C nuerint, præſertim ſi maligni, & pernicioſi fuerint, ut ab eis plurimi interimantur. Similiter ſi anthraces, & carbunculi iis acceſſerint: ſi mulieres utero gerentes levi occaſione aborticrint: ſi animalia, quæ ex putredine fiunt, ſtatim à pluvia generabuntur, ut ranæ, mures, vermes, & ſimilia.

Animadvertendum, quòd dicta ſigna tam ex ſuperioribus quàm ex inferioribus ſumpta, dum apparent, futuram peſtem illicò non ſemper ſignificant. Evenit enim ſæpè, ut ſigna, quæ in vere contingunt, autumni peſtem interdum prænuntient: & quæ in autumno æſtatis peſtem præmonſtrent. Quæ citius, aut tardius ſuccedet pro cauſarum firmitate, & robore.

De iiſdem ſignis peſtem præcedentibus ita iterùm Ficinus: Peſtis venturæ ſigna ſunt, cùm aer extra naturalem ſuam diſpoſitionem eſſe videtur, declinando ad calidum, & humidum, cum nebuloſus, nubes denſæ, pulverulentus, venti groſſi, & tepidi, aquæ, & agri fumant, & olent, & piſces ſunt mali ſaporis, & odoris, cùm multa ſuper terram apparent animalia, & fungi, & putridæ herbæ, terræ fructus, & animalia inſipida D ſunt, & parum conſervantur, vina efficiuntur turbida multa, & terreſtria, & animalia ab eo loci recedunt, inſolitæ oriuntur febres, latentes, furioſæ, continuæ, fallaces, cum pectoris anxietate, cum pulſus proſternatione phreneſis, urinarum turbulentia palati, & inteſtinorum excoriationes; oculorum rubedo, vermes, multæ fœminarum conturbationes, iræ, rabies, rixæ, dira bella, monſtra naturæ inviſa, & rara. *Ficin. in Epidem. antid. c. 25.*

*COMITANTIA.

Quæ præſentem perniciem oſtendunt, non in parvo quoque numero reperiuntur. Sunt autem duorum generum: Altera ex definitione peſtis contingunt: altera verò ex ſymptomatibus oriuntur. Ex peſtis definitione hoc præcipuum habetur, ut non ſolùm aliquos paucos perdat, ſed civitates totas depaſcat, & depopuletur. Cùm igitur in una, vel pluribus civitatibus hujuſmodi erit conſtitutio, præſentis peſtis tunc ſignum certiſſimum erit, ut docet *Hippocrates 3. Epidemiorum 21. text.* his verbis: Morborum dictorum ſpecie complures ægrotabant, & moriebantur. Peſtilentes fuiſſe morbos, qui populariter graſſabantur, demonſtravit: quod confirmat 2. *de* E *nat. humana 3. & 4.*

His adde, quod *Princeps prima 4. tract. 4. cap. prop.* dixit febrem hanc eſſe quietem exterius, conturbantem interius, ex qua percipitur caliditas intenſa, & inflammatio fortis. Quod antea *Galenus 6. vulgar. ſect. 1. cap. 29.* ſcripſit, dum febrium differentias à calore venenatus fuit. Hanc enim mitem exterius, & urentem interius nominavit. Quam rem 9. *de ſimpl. medicina cap. de bolo Armeno, & Lucretius* his carminibus confirmavit:

Hæc nimio cuiquam poſſes ardore tueri,
Corporis in ſummo ſummam ferveſcere partem:
Sed potius tepidum manibus præponere tactum.

Et paulò inferiùs:

Intima pars hominis verò flagrabat ad oſſa,
Flagrabat ſtomacho flamma ut fornacibus intus.

Sed hoc utplurimum, quia poteſt nihilominus fieri, ut & intus, & extra æſtuarint patientes pro materiæ diverſitate, & pro majori, & minori loco, quem occupat putredo. Verùm non tantum dicta ſigna, ſed alios etiam tremendos caſus non pauca F cum diligentia explicavit *Thucydides lib. 2.* Alia ſigna ex Symptomatibus deſumuntur. Quare præter febrem intus urentem, adeſt capitis dolor, interdum gravitas: modò vigiliæ moleſtæ patientes exercent, non raro ſomnolentiæ, & ſopores: interdum memoriæ abolitio, aliquando lippitudines, quas flammantes oculi præcedunt: aurium tinnitus, audituſque gravitates, horrores, ſpaſmi, ſtillæ ſanguinis è naribus, lingua arida, nigra, ſitis inexhauſta, ut aliquando in puteos ſe immerſerint ægrotantes. Unde *Lucretius*.

In fluvios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant; nudum jacientes corpus in undas
Multi præcipites limphis putealibus alte
Inciderant ipſo venientes ore patente:
Inſedabiliter ſitis arida corpora merſans
Æquabat multum parvis humoribus imbrem.

Puſtulæ quoque in ore naſcuntur, vocis vitium, tuſſes præcipuè ſiccæ, anhelitus magnitudo, frequentia, fœtor. Pulſus ut plurimum frequentes, parvi, noctè vehementes, inæquales, celeres, languidi, & interdum deficientes: inappetentiæ validæ, vomitus varii: ſingultus quoque eos fatigat. Unde iterùm *Lucretius*: G

Singultuſque frequens noctem perſæpè diemque
Corripere aſſiduè nervos, & membra coarctans
Diſſolvebat eos defeſſus ante fatigans.

Præcordiorum, & præſertim ſiniſtri tenſiones vehementes, & quandoque ad aquam intercutem declinatio, fluxus omnium generum cum doloribus, & malignis inteſtinorum volvulis ex geſtionibus acribus, crudis, tenuibus, fœtidis, lividis, ſanguineis, nigris multis, liquationem præferentibus, & ut plurimum malè judicantibus, ut videre licet *apud Hippocratem 3. epidemiorum ſect. 3. in principio.* Tumores præterea maligni, modò poſt aures, modò ſub alis: & interdum in inguinibus contingunt, prout cerebrum, cor, hepar laborant.

Plura videat Lector apud Antonium Portum, Marcellum Ficinum, & eos, qui de peſte ſcripſerunt. Suffecerit nobis potiſſima indicia, & cauſas annotaſſe.

*TEMPUS PESTIS.

Valescus de Taranta tempus ad peſtem maximè ac- H commodatum, & expoſitum, finem æſtatis, & autumni principium eſſe dixit. Quam ſententiam *Princeps ſecunda primi doctr. 2. c. 9.* ſequentibus verbis confirmavit: Peſtilentiæ autem, & aeris putrefactio, ſecundùm plurimos, in poſtremo æſtatis, & in autumno evenit.

Idem comprobavit *Raſis 4. ad Almanſorem cap. 25.* ſic inquiens: Peſtilentia plerumque in fine æſtatis, & autumno accidere ſolet, ubi futuræ peſtis in dicto tempore ſigna, ſic ſubdens, recenſet: Quapropter ſi in æſtate multæ venerint pluviæ, nubes quoque, & pluviarum multitudo nocte, dieque permanſerint, & in meridionales venti multi perflaverint, & aer ita quietus ſit, ut non moveatur, & cum hoc meridionalis ventus turbidus exiſtat, tunc ſuſpicandam credimus peſtem.

Autumno verò hoc imprimis mali ineſt, quod eadem die modò calor, & modò frigus dominatur; præter id quod in æſtate humores aduſti plurimi generantur, propter quam aduſtionem malefici evadunt. His adde, quòd mortalium vires propter efflationes, & inſenſibiles reſolutiones ſenſim contingentes,

gentes, debiles redduntur. Inſuper humores, qui ad cu- A tim movebantur, ejuſdemque reſpiratu, ut dictum eſt, digerebantur, in autumno ab ambientis frigore quaſi per antiperiſtaſim, intro, & in profundum pelluntur, atque coguntur.

Fructus præterea, quia eo tempore in majori copia reperiuntur: unde dicit *Galenus*, quod auctuarii loco poma accedunt, quibus abundè repleti, & his præcipuè, qui corruptibiliores natura exiſtunt, facilè malorum, & putreſcibilium humorum copia colligitur, ut indè cæteris concurrentibus peſtis commodum poſſit habere initium.

PESTILENTIÆ CURATIO.

☞ *Peſtis graſſatur necando. Ea propter ex loco Mortis exempla petenda. Hìc ſolius Curationis habenda ratio.*

A Quibus Curata. A

Deo.

Ecbertus adoleſcens peſte in Scotia graſſante, ſolus cùm Edilo in monaſterio relictus, cùm & ipſe cum ſodale ſuo eo morbo corriperetur, à Deo obnixè petiit, ne ſineret ſe extingui priùs, quàm præteritas negligentias, quas in pueritia ſua commiſerat, perfectiùs caſtigaret, & in bonis ope- B ribus abundantius ſe exerceret. Vovit etiam votum, quòd nunquam in Inſulam, in qua natus erat, vellet reverti: & quòd quotidie totum Pſalterium in gloriam Dei eſſet decantaturus, niſi impediretur adverſa valetudine: & quòd in omni ſeptimana diem cum nocte eſſet jejunus exacturus. Impetravit id à Domino, & convaluit, & mortuo Edilo, ipſe in ſuo voto ſervando multos labores, & moleſtias cepit. *Beda lib. 5. cap. 27. Eccl. hiſt.*

Sanctis.

Rochus Narbonenſis provinciæ nobilis juvenis, cujus pater erat Dominus oppidi Agathopolis, in locuplete hæreditate relictus à parentibus, anno ætatis duodecimo patriam patruo permiſit gubernandam, ipſe Italiam petiit, peregrinatus pro Chriſto. Vidit plagam crebeſcentem peſtilentiæ, & miſertus laborantium, crucis impreſſione multos liberavit Romæ, & Aquapendente. Ceſennæ notior factus, aufugit. Placentiam quoque urbem adiit: ibi cùm multos curaſſet orationis impendio, ipſe quoque percuſſus eſt eodem morbo velut ardente ſagitta in coxam ejus emiſſà: illicò urbe eiicitur ab inſultantibus: En qui alios curare præſumit, C ipſe ægrotat. In nemore, ſolitæ precis præſidio, integram recepit ſanitatem. Tum in Gallias reverſus, patriam invenit bellis tumultantem, Eò cùm confeſſiſſet, à lictoribus capitur tanquam explorator: in carcerem coniicitur, ubi quinquennium egit in ſumma patientia, Demùm laxatus, domum patrui, mendicantis habitu coluit. Anno ætatis trigeſimoſecundo ægrotus, ſacramentis Eccleſiæ munitus, migravit ad Dominum. Inventa eſt tabula ad latus demortui his verbis ſcripta: *Peſte laborantes ad Rochi patrocinium confugientes, contagionem illam truculentiſſimam evaſuros ſignifico.* Ea res ad patruum ejus urbis Principem perlata, fecit attonitum: Ubi diligentiùs rem explorat, vidit ex fratre nepotem. Tum terrefactus, ſolvitur in lachrymas: ſacellum ei dedicat, ubi miraculis fulgeſcit. Anno octogeſimoquinto, Venetias corpus ejus deportatum, & ſacello eidem dicato reconditum, magno in pretio habetur. Ejus feſtum decima ſexto Calend. Septembr. *Crantz. l. 9. Metrop. c. 24.*

Magis.

Jachen Ægyptius, ſub Senie Rege Ægyptiorum, amuletis, & carminibus medens, in doloribus, & morbis ſummus arti- D fex, peſtilentiam ab Ægyptiis repulit, & ſub Caniculæ ortum æſtivum ardores mitigavit. Itaque ſumptuosè eſt ſepultus. Quòd ſi quando publicus morbus invaleſcebat, ad fanum hujus accedentes ſacerdotes, & ſacris ritè peractis, ex ara ejus igne petito, & pyris in urbe incenſis, luem igni extinxerunt. *Suidas.*

Quomodo.

Precibus.

Ezechias Rex Judæorum, peſtilentia laborans, precibus ad Deum converſus, ab Iſaia Propheta conſolationem accepit, ſimul & emplaſtrum ex ficubus, quod ulceri impoſuit, & trium dierum ſpatio convaluit, 4. *Reg.* 20.

Gregor. Turon. l. 4. c. 5. annotat, Gallum Avernæ Epiſcopum ardenti ad Deum oratione obtinuiſſe, ne peſtis, vel lues illa quam Inguinariam vocant (quæ non ſolùm Galliam, ſed alias quoque orbis partes infeſtabat) Avernam urbem devaſtaret. Apud *Evagrium l. 4. c. 29.* prolixa extat hujus peſtiferæ lues, utpote, quæ ipſius tempore contigit, & annos totos quinquaginta duravit: deſcriptio.

Expiatione locorum.

Anno ſecundo belli Peloponneſiaci coorta gravis peſti- E lentia. Eam ex Æthiopia primò egreſſam, Ægyptum, mox & Libyam corripuiſſe memorant. In Lemnum inde, & loca finitima, demùm Athenas tranſgreſſam. Credidere ab initio Athenienſes, puteos hoſtium fraude veneno corruptos. Vulgato morbo tanta funerum frequentia ſecuta eſt, quanta nunquam anteà hominum memoria. Multos ægrotantium traditum eſt, ultrò ſemetipſos in puteos fonteſque præcipitaſſe, conatos eo remedio flammam intus ſævientem, præcordiaque conficientem reſtinguere. Athenienſes tantæ calamitatis cauſam ad Deos, religionemque retulere, & Delon Inſulam luſtrari juſſere: quæ polluta, violataque idcirco putabatur, quòd ad ſepelienda expirantium cadavera per nefas uſurpari cœpta eſſet. Nam ex vetere religionis præſcripto, in Apollinis, & Dianæ honorem, nulli hominum, neque naſci, neque mori in Delo licebat. Apertis itaque cunctis in Delo ſepulchris, urnas omnes in Inſulam Delo proximam, cognomento Rheniam tranſtulere: tum lege caverunt, ne cui parare, ſepulchrumve fodere in Delo liceret: ludos item, & feſta Veliorum F priſca inſtauravere, quæ longo jam tempore obſolverant. *Diod. lib. 12.*

Supplicationibus.

Cùm peſtilentia toto terrarum orbe graſſaretur, Apollinem tam Barbaris quàm Græcis conſulentibus, oraculum reſpondit: Oportere à populo Athenienſi vota fieri pro omnibus. Multarum igitur gentium legatis ad eos proficiſcentib. etiam Abarim Seuthæ F. Scytham vatem, Hyperboreorum nomine legatum veniſſe ajunt. Tempus adventus illius controverſum eſt. Nam Hippoſtratus eum tertia Olympiade adveniſſe dicit: Pindarus tempore Crœſi Lydorum Regis: alii XXI. Olympiade. *Suidas.*

Sacris, Victimis.

Orion Hyriei F. in Bœotia, filias habuit Metiocham, & Menippam. Hæ, quo tempore peſtem Diana ex hominibus ſuſtulit, apud matrem educabantur. Minerva porrò texendi artem eas docuit, Venus pulchritudine donavit. Cùm autem totam Aoniam invaſiſſet peſtis, multique examinarentur: miſſi ſunt, qui Apollinis Gortynii oraculum conſulerent. Iis præcepit Deus, ut duos Eriunios Deos demulceant: ac iram Deum placatum iri, ſi duæ virgines iis immolaren- G tur. In civitate nulla virginum ſe ad ſatisfaciendum oraculo obtulit, donec ancilla id Orionis filiabus expoſuit, ad telam ſedentibus. Eæ, oraculo cognito, ſponte ſua pro omnibus mortem oppetere, priuſquam popularis lues ipſa interficeret, delegerunt. Propterea cùm Manes ter invocaſſent, profeſſæ ſe ipſis ultrò offerre victimæ loco, radio claviculas percuſſerunt, ruptoque jugulo in terram corruerunt. At Proſerpina, & Pluto miſerati, virginum corpora è medio abſtulerunt, & eorum loco ſtella de terra excitarunt: quæ cùm apparuiſſent, in cœlum evaſerunt, eoſque Cometas appellant. Cæterùm apud Orchomenum Bœotiæ urbem omnes Aones illuſtre his virginibus templum dedicarunt, iiſque quotannis pueri, & puellæ ſacra placandi cauſa offerunt dona: atque etiamnum ab Aeolenſibus eæ Coronides virgines nominantur. *Antonius Liberalis ex Nicandri lib. 4. Alteratorum, & Corinnæ lib. 1. Mutationum.*

Cleonæi cùm peſtilentia laboraſſent, oraculi monitu Sole primùm oriente caprum immolarunt, ac deinde lue ſedata æneum caprum Apollini Delphos miſerunt. *Pauſanias in Phocicis.* H

Aristæus Apollinis, & Cyrenes F. peſtilentia per Græciam graſſante, in Chio ſacris factis, Sirii canis ardores mitigavit, & Etecarum flatu impetrato Græcos liberavit: qui filium Actæonem, quo minus à canibus laceraretur, tueri non potuit. *Diod. lib. 4. cap. 14.*

Cùm ſeveris legibus Pontifici Hadriano VI. Germano natione, minimè peſtilentia coercenda videretur, contactu ægrorum vehementer exarſit. Ibi tum Græculus quidam, nomine Demetrius Spartanus (nemine propter plebis, quam dementarat, applauſum ſuperſtitionem vetare auſo) ferum taurum, cui dimidium cornu diſſecarat, magico carmine dextram in aurem prolato, repentè ita manſuefactum reddidit, ut iniecto tenui filo ad integrum cornu, quò vellet perducens, peſtilentiæ placando numini ad amphitheatrum immolarit. Nec credulæ multitudinis ſpem ex toto fefellit, cùm ab ea inanis ſacrificii proſpera litatione, miſcere morbus cœpiſſet. *Jovius l. 1. hiſt.* De ea re, & obſervatione, & animadverſione digna, ſic ſcribit *Cognatus*. Anno Chriſti 1522. graviſſ. peſtilentia Romam

invaſerat

invaſerat, Ibi tum Græcus quidam promiſſa barba aſpectu A tetrico, ἀλεξίκακον ſe fore profeſſus eſt, ſi xxx. aurei nummi ſibi, poſteriſque in ſingulos menſes conſtituerentur. Romani conditionem acceptant. Is nigrum taurum adduci, fontem in ſuburbio novum recipere jubet. Nocte intempeſta ad radices Marii montis profectus, quo in loco & taurum paratum, & fontem invenerat, funem texere aggreſſus eſt, texendoque nunc alta voce, nunc ſubmiſſa neſcio quid Græcè immurmurabat, ſonitum vocis multis, qui ſpectatum convenerant, audientibus. Poſt hæc conjecto in cervicem tauri ſune, ferunt illum repentè manſuefactum ter circa fontem perduxiſſe. Deinde proſtratum nulla vi, ter dextro pede calcaſſe, atque illi demùm minimè reluctandi cornua abſecuiſſe: quibus peractis, taurum per ſeptem urbis portas, & per ſeptem celebres vias à Paſtoribus deduci juſſiſſe: poſteà dimitti, ut in campos, & ad paſcua nota regrederetur. Ajunt, qui interſuerunt, qua ille hora attollens in cœlum oculos, neſcio quid inſuſurrabat, viſa fuiſſe decidentia ſidera, & innumerabiles canum, luporum, atque id genus animalium imagines paſſim volitare. His in hunc modum confectis, Magus in urbem reverſus, egit cum Romanis magiſtratibus, ut pu- B blico edicto caveretur, ne quis in triduum quadrupedem beſtiam mactaret. Antiſtites, qui tum urbe aberant, Græcum impoſtorem comprehendi, & in carcerem duci juſſere. Ægrè populi minis dimiſſus, ſed æterno mulctatus exilio: liber magicus, quo utebatur, publicè exuſtus eſt. *Gilbertus Cognatus l.8. Narrationum.*

Cultu rerum ſacrarum.

Octavo anno regni Numæ, peſtilentia, quæ per Italiam vulgabatur, urbem quoque Romanam vaſtabat. Perculſis civibus, tradunt peltam æneam in manus Numæ cœlitus delapſam: de hac mira prædicaſſe Regem ex Ægeria ſe, & Camænis accepiſſe: eſſe ea arma ad ſalutem urbis miſſa, & ſervanda cum undecim aliis, quæ pari figura, amplitudine, & forma facienda erant, ne quis fur commodè propter ſimilitudinem intervertere cœleſtia valeret: Camœnis item eum conſecrandum campum, & circumjecta prata, ubi plerumque cum ipſo congrediebantur: fontem, quo irrigatur campus, ſacrandum virginibus Veſtalibus, cujus aqua luſtrarent, & aſpergerent quotidie penetralia. His fidem factam narrant ex eo, quòd morbus ſtatim conquieverit. C Eam peltam obtulit Numa artificibus, excitavitque eos ad ſimiles effingendas. Torpentibus cæteris, Veturium Mamurium inſignem opificem ita expreſſiſſe effigiem, & imaginem ejus repræſentaſſe, ut ne ipſe quidem dignoſcere ultrà Numa poſſet. Horum cuſtodes, & miniſtros Salios conſtituit. Dicti autem Salii ſunt, ab ipſo tripudio, quod ſaltando obeunt, cùm menſe Martio ſacras peltas per urbem ferunt trabeati, baltheis latis ſuccincti æneis, galeaſque æneas in capite gerentes, ac minutis pugionibus ad peltas concrepantes. Saltatus hujus tripudii pedibus efficitur: motus enim edunt in gyrum haud inconcinnos, & varios, modulis citatis, & frequentibus cum robore, & agilitate. Eas peltas ancilia ex figura vocant: neque enim circulus eſt, neque peltæ orbem, ſed habent inciſuram lineæ tortuoſæ, cujus reflexi ſæpiùs apices, recurrenteſque continenter in ſe mutuo, ἀγκύλην, id eſt, curvam figuram reddunt: aut à cubito, quem ἀγκῶνα, Græci vocant, quo geſtant ancilia. *Plutarchus in Numa.*

Ivo in Chronico, & Paul. Diac. l.6. c.2. de Geſt. Longob. Narrant: quòd cùm tempore Conſtantini, circa annum Domini D 628. per tres menſes, Julium, Auguſtum, & Septembrem, peſtis Ticinum adeò depopulata eſſet, ut civibus inde fugientibus, herbæ & fruticeta enaſcerentur in plateis: revelatum eſſe quibuſdam viris, non priùs peſtem abituram, quam Sebaſtiani martyris altare in baſilica Petri conſtrueretur: atque eventum correſpondiſſe. Reliquiis enim Sebaſtiani Roma Ticinum translatis, altari extructo, lues illa quievit.

Anno 932. dira Lombardiam peſtilentiæ invaſit lues, Papienſes præter cæteros graviſſimè conflictati, remediis omnibus aliis deſperatis, divinas ad preces verſi, corpora ſanctorum martyrum Syneſii, & Theopontii Nonantulano in monaſterio condita, ac miraculis ea tempeſtate fulgentia, ad ſe deferri curarunt: eaque Adeleide regina in primis hortante ſuppliciter venerati, triſti mox ægritudine levati ſunt. *Sigonius l.6. regni Ital.*

Anno 1006. rei frumentariæ inopiam gravis uſque adeò peſtilentia in Lombardia excepit, ut ſepeliendi tædio affecti adhuc ſpiritum ducentes obruerentur cum mortuis. Eo tempore Syneſii, & Theopontii martyrum corpora in æde Nonantulana recondita, Mutinenſis ac Bononienſis populi precibus, per utriuſque civitatis agros, atque caſtra à monachis circum- E lata, ſalutem ægris corporibus attulerunt. *Sigonius lib.8. reg. Ital.*

Ludis.

Cùm regnante Tarquinio Superbo, ob eſum carnium taurorum peſtifer annus gravidas mulieres Romæ affeciſſet: in Deorum inferorum placamenta ludos celebrarunt, qui Taurii dicti ſunt: quòd ob taurinæ carnis morbum, inventi primùm, concelebratique ſunt. *Alex. l.6. c.19. & Polyd. l.4. de Invent. ex Valer. Max. l.2. c.1.*

Initiatione.

Scribit Pollux *Onomoſtici 5. l. apud Athenienſes* ἀρκτεύεσθαι virgines dici, hoc eſt, Dianæ, priuſquam tempus appetat nuptiarum, conſecrari initiativè. Decreto namquam ſancitum Athenienſium erat, ne qua viro puella raderetur, εἰ μὴ ἀρκτεύσειε τῇ θεῷ, id eſt, niſi ſacra obiiſſet Dianæ. Quod menſe Januario fieri conſueviſſe, indicat *Libanius* in Oratione, quam de Dianæ laudibus dixit. Induebatur autem veſte, quam Crocatam nominant, nec decimo ætatis anno grandiores, nec quinto inferiores. Iis autem placari credebatur F Diana, quæ cauſa ejuſmodi indignationem concepiſſe videbatur. Ferunt quandoque urſam feram in Attica ita cicurem factam, ut homines nihil averſaretur omnino, ſed compaſceretur, multaque licentia huc illuc, nemine impedimentum inferente, pervagaretur. Contigit puellam quandam laſciviuſculè cum bellua colludere: quæ irritata, puellam facto impetu proſcidit. At fratres urſam jaculis impetitam necarunt. Inde peſtilens morbo latiùs per regionem graſſari cœpit. Conſultis oraculis, reſpondit Deus, mali non defuturum finem, niſi virginum nonnullas compellerent τῷ πλευσσάσκι ἄρκτῳ ἀρκτεύειν, id eſt, urſæ peremptæ, honori dicari. Nam & puellæ ſic vocabantur arcti, id eſt, urſæ. *Cœlius lib. 26. cap.19. A. L.*

Arietis geſtatione.

Apud Tanagræos Bœotos eſt templum Mercurii Chriophori dicti, eò quòd peſtilentiam Mercurius averterit, circumlato in murorum ambitu ariete, ob eamque rem Mercurium Tanagræis Calamis fecit arietem humeris portantem. Qui ſanè puberibus cæteris forma præſtare judicatus fuerit, is feſto Mercurii die agnum humeris portans, muros circumambulat. G *Pauſanias in Bœoticis.*

Clavo fixo.

C. Genutio, & L. Æmilio Mamerco conſulibus, cùm vulgò morbi corpora afficerent, Dictator figendi clavi gratia dictus eſt L. Manlius, cognomento Imperioſus. Repetitum erat memoria, clavo aliquando à Dictatore fixo, peſtilentiam in urbe ſedatam. Sed figendi clavi ratio aliunde ſumpta. Cùm perraræ ea tempeſtate literæ eſſent, lex ſcripta fuit, ut qui Prætor maximus in urbe eſſet, Idibus Septembris clavum figeret, ut nota illa velut annorum eſſet. Lex ipſa idcircò in Minervæ templo creditur dicata, quia numerus ipſius ſit deæ inventum. Fixus eſt clavus dextro lateri in æde Jovis, qua parte Minervæ templum proximum illi fuit. Primum id conſules factitarunt, ad Dictatores inde eſt id munus translatum, quia majus eſſet imperium: poteſtque ex hoc intelligi, prætoris appellatione conſularem etiam, & dictatoriam dignitatem veteres accepiſſe. Volſciniis in templo Nortiæ deæ Hetruſcæ clavos annorum indices figi ſolitos tradidit Cincius. *Sabellicus lib. 3. En.4.*

Loci mutatione. H

Tradunt Indorum eruditiſſimi, priſcis temporibus, cùm adhuc homines diſperſi per vicos habitarent, veniſſe ad Indos cum exercitu Bacchum, omnemque peragraſſe Indiam, nullis adhuc præclaris conſtitutis urbibus, quæ ei obſiſterent. Cùm verò ob ingentes æſtus Exercitus ejus peſte interiret, ut Dux prudens in montes ex locis planis milites traduxit. Ubi cùm venti frigidi afflarent, & aquæ potu uterentur, quæ pura ex fontibus manabat, à morbo ſunt liberati, Locum Montanum, in quo exercitus à peſte evaſit, Femur appellavit. Unde & Græcos tradidiſſe de eo Deo poſteris ferunt, in Jovis femore Bacchum eſſe nutritum. *Diodorus lib.2. cap. 10. & Philoſtratus.*

C. Jul. Cæsaris Exercitum in Epiro fames, & ex fame lues infeſtabat. At poſtquam mutatis caſtris Gomphos Theſſaliæ urbem cepit: non modò aluit exercitum, verùm etiam morbo mira ratione explicavit. Quippe illi cùm magnum numerum vini inveniſſent, eo largiùs hauſto comeſſabundi inde, & bacchabundi in via ex crapula propulſaverunt, alteraveruntque morbum,

morbum, converſi in diverſam corporis habitudinem. *Plut.* A *in Cæſare.*

Cadaveris exuſtione.

In Malleo maleficarum legitur, peſtem de Vico Germaniæ in agro Conſtantienſi non abiviſſe, donec Sagam quandam humo eruiſſent, & in cinerem redegiſſent corpus.

* *Fuga.*

Scripſit Henricus Ronzovius libellum de conſervanda valetudine ad uſum liberorum ſuorum, in quo peſte graſſante præſidium omnium Medicorum teſtimonio laudatiſſimum affirmat, fugam arripere, ſolum, cœlumque mutare, loca vitioſa, & peſtifera, huic contagioſæ lui obnoxia, primo quoque tempore relinquere, & in hæc tardè redire, juxta verſiculum communem:

Hæc tria tabificam pellunt adverbia peſtem.
Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

* *Amuleto.*

Idem quoque pro Amuleto ſequentem ſacculum collo ſuſpendi, & regioni cordis apponi jubet, tanquam mirificè peſti reſiſtentem, nempe Arſenici albi partes duas, rubei unam: ex B qua fiat maſſa cum albumine ovi, vel mucillagine tragacanthi, quæ inſuetur linteolo lineo, cui ſuperaddetur ſericum, cordique admovebitur. Non deſunt tamen inter medicos celebriores, qui per ſimile Amuletum cor debilitari affirment, adeòque ei non admovendum ſuadent.

* *Medicamento.*

Plinius l.23. c.8. ſcribit, Cn. Pompejum in ſanctuariis Mithridatis maximi Regis devicti, inveniſſe in peculiari commentario ipſius manu conſcripto, compoſitionem antidoti è duabus nucibus ſiccis: Item ficubus totidem, & rutæ foliis viginti ſimul tritis, addito ſalis grano; & ei qui hoc jejunus ſumat, nullum venenum nociturum illo die.

Idem Antidotum etiam hoc modo conficitur. Rec. Nucum juglandium ſiccarum uncias ſex, Ficuum ſiccarum uncias 4. Foliorum rutæ ſiccæ ſemiunciam. Salis drachmas duas. Omnia hæc in minutas partes conciſa, aqua roſarum imbuantur, neque, ut quidam volunt, terantur. Aliqui hæc miſcent ſucco acetoſæ, aut aceto roſaceo. Nonnulli addunt etiam ſemiunciam granorum Juniperi. Hoc antidotum jejuno ſtomacho ſumatur ad quantitatem nucis caſtaneæ, eſtque adversùs ve- C nenum præſervativum.

Petitio.

☞ *Vide Oratio.*

Definitio, et Etymologia.

PEtitionis ſignificatum latius patet quàm orationis: cùm ſit in genere exactio quædam, ſive poſtulatio rei cujuſvis, quam deſideramus, verbo, aut nutu expreſſa. Quamvis Valla petere dixerit, quando humiliter, & precibus petimus: Et Varro, Petere eſt, inquit, propriè aliquid ſuppliciter, & precariò poſtulare. Nihilominus uſurpatio vocis generalior eſt apud Scriptores: Hinc. *Ovid. l.4. de Ponto Ecl.16.*

Verùm quid faciam? res immoderata cupido eſt.
Da veniam vitio, mitis amice, meo.

Et Martialis. *Durum eſt, Sexte, negare, cùm rogeris:*
Quanto durius, antequam rogeris?

Et rurſus *Ovidius lib.1. de Ponte. Eleg.9.*

D *Ah! nimium eſt quod amice petis, moderatius opta:*
Et voti quæſo contrahe vela tui.

PETERE. OBSECRARE. POSTULARE.

Quid.

CONSILIUM.

☞ *Vide locum Prudentiæ conſultricis.*

BENEFICIUM.

Extat apud Theognidem in amicum parum officioſum tale diſtichon epiſtolæ loco miſſum:

εὖ ἔχω (valeo ego) εὖ πράττε (ut te valere intelligam beneficium aliquod exhibe) τί κ' ἄγγελον ἄλλον στέλλεις; quid mittendis per nuntios litteris ſollicitus es?

τῆς εὐεργεσίης ῥηθὲν ἀγγελίη (beneficium datum, munuſque miſſum omnium nuntiorum, & litterarum loco erit.)

MUTUUM.

Cabades Perſarum Rex facta cum Romanis pace, ab Anaſtaſio Imperatore pecuniam mutuò accepturus erat. Ibi cùm Anaſtaſius cautionis ſyngrapham poſtularet, indignatus Cabades fœdus rupit.

AUXILIUM CONTRA HOSTES.

☞ *Vide Auxilium, Auxiliari.* E

Opem.

Planus ſcurra ſponte ſua ſæpè cadens, tanquam crure fracto miſerandis vocibus prætereuntes implorabat, ut humo tolleretur. Peregrinus autem quiſpiam, ac doli ignarus, ſi quando allevaturus acceſſiſſet, à ſcurra ludibrio habebatur. Verùm ubi jam illius ſimulatio pleriſque innotuiſſet, iſque aliquando crure verè fracto tolli precaretur: nemo ſubvenit, omnibus Planum ſolitos agere ludos arbitrantibus. Verſus Horatii in Epiſtolis ſunt hi:

Nec ſemel irriſus triviis attollere curat
Fracto crure Planum, licet illi plurima manet
Lachryma, per ſanctum dicat juratus Oſirim,
Credite, non ludo, crudeles tollite claudum.
Quare peregrinum vicinia rauca reclamat.

Clementiam.

Porus Rex Indorum captus, & ad Alexandrum raptus, roganti, quemadmodum de ipſo ſtatueret? Regaliter, inquit Alexander. Quo iterùm requirente: Num quid aliud: Nihil. inquit: ſiquidem in hoc verbo regaliter ſunt omnia. *Plut. orat.* F *1. Alexandri fortuna.*

Bello Germanico Proteſtantium Joan. Fridericus Saxoniæ Dux captus, & in conſpectum Caroli V. Cæſaris productus, ſuppliciter petiit, ut principali more tractaretur. Cui ille, Tractaberis pro merito, reſpondit. *Surius in Comment.*

Licentiam ſepulturæ.

Apud veteres dum acies armis decernerent, petere ut defuncta corpora liceat ſepelire, vel poſt prælium abire, conceſſum de victoria videbatur. Eos enim qui vicerunt, precariò aliquid ab hoſte petere non decebat. *Alex. l.4. c.7.*

* Abraham Patriarcha mortua Sara uxore ſua; petiit à filiis Hethi, Date mihi jus ſepulchri vobiſcum, ut ſepeliam mortuum meum, quibus annuentibus, rogavit, ut apud Ephron intercederent, quatenus ei daret ſpeluncam duplicem pecunia dignam poſſeſſionem ſepulchri. *Gen. c.23.*

* SIGNUM. MIRACULUM.

Ex S. Scriptura.

Gedeon vir fortiſſimus, dum per Angelum à Deo acce- G piſſet nuntium de liberando per manus illius populo, dixit: Si inveni gratiam coram te, da mihi ſignum, quòd tu ſis, qui loqueris ad me. *Judic.6.*

Ita etiam Moyſes mittendus ad Pharaonem, & filios Iſrael, tertiò reluctabatur, poſtulans ſignum aliquod ſuæ miſſionis, unde dicebat, ſi dixerint, mihi quod eſt nomen ejus? quid dicam eis? Et iterùm, non credent mihi, nec audient vocem meam, ſed dicent, non apparuit tibi Dominus. Dixit ergo Deus ad eum. Quid eſt quod tenes in manu tua, &c. & mox. Quod ſi non crediderint tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis. *Exod. c.3.*

Poſtquam Helias populum in duas partes claudicantem corritpuiſſet, advocatis ſacerdotibus Baal, qui erant numero quadringenti quinquaginta, dixit: Dentur nobis duo boves, & illi eligant bovem unum, & in fruſta cædentes ponant ſuper ligna, & ignem non ſupponant: & ego faciam bovem alterum, & ligna non ſupponam. Invocate nomina Deorum veſtrorum, & ego invocabo nomen Dei mei: & Deus, qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus 3. *Reg. c.18.*

Poſt ſatiata quinque hominum millia quinque panibus, venerunt ad Jeſum Scribæ, & Phariſæi dicentes, Quod tu facis H ſignum, ut videamus, & credamus tibi? quid operaris? Patres noſtri manducaverunt manna, &c. *Joan.6.*

Alia quoque occaſione venerunt ad eum quidam de Scribis, & Phariſæis dicentes, Magiſter volumus à te ſignum videre. Quando aliud ſignum eis non dat, niſi ſignum Jonæ Prophetæ. *Matth. cap.12.*

Acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum ſedentem ſuper montem Oliveti ſecretò, dicentes, Quod ſignum adventus tui, & conſummationem ſæculi? *Matth.24.*

Historica.

Valerianus Ceciliæ Virginis ſponſus, cùm ab ea intellexiſſet, quòd in Angeli tutela eſſet, ſe in Chriſtum crediturum ſpopondit, ſi illum Angelum videret, ejuſque rei cupiditate incenſus, hortatu Ceciliæ baptizatur. *Breviar. Roman.*

* SANITATEM. RESUSCITATIONEM.

Naaman Syrus venit magnis itineribus ad Heliſæum, deferens munera, ut à lepra ſanaretur, & poſtquam ſe in Jordane ſepties laviſſet, mundatus eſt ab ea: 4. *Reg. c.5.*

Cœcus

Cœcus quidam ſedebat circa viam, qua tranſiturus erat Jeſus, mendicans, qui cùm audiſſet, quia Jeſus Nazarenus tranſiret, cœpit clamare, Jeſu fili David, miſerere mei, & adducto ad ſe dixit Jeſus, quid vis ut faciam tibi? Cæcus autem dixit, Rabboni, ut videam. *Marci* 10.

Ita Centurio filii ſanitatem: Chananæa filiæ defunctæ, & Martha fratris Lazari, reſuſcitationem ab eodem poſtularunt.

PRO QUO.

Pro ſeipſo.

☞ *Exempla præcedentia pleraque.*

* *Pro alio* INTERCEDERE. ☞ *Vide* ORATIO.

EX S. SCRIPTURA.

Poſtquam Hebræorum populus in Idololatriam lapſus, Dei in ſe iram provocaſſet, Moyſes pro iiſdem interceſſit, & id quidem tanto fervore ut diceret, Aut dimitte eis hanc noxam: aut ſi non facis, dele me de libro, quem ſcripſiſti. *Exod.* 32.

DAVID poſt numeratum populum, dum gravi peſte eum Deus flagellaret, & videret Angelum cædentem populum, pro eo apud Deum interceſſit dicens: Ego ſum, qui peccavi, iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt? Iraſcatur furor tuus contra me, & domum patris mei: & addit Scriptura, quomodo oblato ſacrificio propitiatus fuerit Dominus terræ, & cohibita ſit plaga ab Iſrael. 2. *Reg. c.*24.

Vidit Judas Machabæus Oniam jam defunctum, ſacerdotem ſummum, & Hieremiam Prophetam etiam vita functum, orantem pro populo Judæorum, & Oniam dicentem audivit, hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael: hic eſt qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate, Hieremia Propheta Dei 2. *Machab.*15.

Vocato ad nuptias in Cana Galilææ Jeſu, deficiente vino dicit Mater ejus ad illum, vinum non habent, ſuaque interceſſione impetrat, ut ſex hydriæ, quæ aqua erant repletæ, vino implerentur, & aqua vinum fieret. *Joan. c.*2.

Acceſſit ad Jeſum Mater filiorum Zebedæi, adorans, & petens ab eo, Dic, ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam, & unus ad ſiniſtram tuam in regno tuo. *Mat.*20.

Diſcipuli accedentes ad Jeſum rogabant eum pro muliere Chananæa, dicentes, dimitte eam, quia clamat poſt nos. *Matth.*15.

Centurionis cujuſdam ſervus malè habens, erat moriturus, & cum audiſſet de Jeſu, miſit Seniores Judæorum, qui rogarent eum, ut veniret, & ſanaret ſervum ejus, quod fecerunt ſollicitè, dicentes: Quia dignus eſt, ut hoc illi præſtes, diligit enim gentem noſtram, *Luc.*7.

Ipſe etiam Chriſtus pro crucifigentibus apud Patrem interceſſit: Cujus exemplum imitatus Protomartyr Stephanus idem pro ſe lapidantibus præſtitit: & in particulari Saulum Eccleſiæ precibus ſuis aggregavit. Qui etiam converſus ad Chriſtum, optavit Anathema eſſe pro fratribus.

A QUIBUS. A

Statuis.

Diogenes Cynicus in Ceramico ſtipem à ſtatuis petebat. Cauſam rogatus, Repulſæ ferendæ meditatio hæc eſt, inquit.

Hominibus.

☞ *Huc præcedentia exempla pleraque.*

QUOMODO.

Simpliciter.

☞ *Petitio hæc ſimplex eſt, abſque ulla conditione, ſeu reſtipulatione. Huc etiam præcedentia pleraque pertinent.*

Cum promiſſione.

☞ *Votum duabus partibus conſtat, Petitione boni, quo caret, & ſponſione boni, quod habet: Da ut dem. Fac ut faciam, Reſpectu prioris, inter Preces connumerari debent reſpectu poſterioris, hujus ſunt loci. Conſule Tit. Jurisjurandi, & Fœderum, quatenus mutuam petitionem, & ſponſionem habent.*

Chryſes vates Apollinis, ut filiam Chryſeidem ab Agamemnone raptam, à Græcis redimeret, coronam, & ſceptrum aureum Apollinis pro redemptionis præmio offert: dicens Il. α.

ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχοντες
Ἐκπέρσαι πριάμοιο πόλιν, εὖ δ᾽ οἴκαδ᾽ ἱκέσθαι,
παῖδα δ᾽ ἐμοὶ λύσαιτε φίλην, τὰ δ᾽ ἄποινα δέχεσθαι.

* DE PETITIONE JUSTA, ET INJUSTA.

APOPHTHEGMATA.

Thales, ſciſcitanti quid eſſet dulciſſimum? Potiri inquit Nam ea demum delectant, quæ contingunt expetita. Quæ ultrò obiiciuntur, non perinde juvant. *Laert. l.*1. *c.*1.

SOCRATES dicebat, à Diis nihil petendum, niſi bona ſimpliciter: cùm vulgus petat benè dotatam uxorem, opes, honores, regnum, longam vitam, quaſi præſcribentes numini quid oporteat facere. At Deus optimè novit, quid nobis bonum ſit, quid non. *Eraſ. l.*3. *Apopb.*

Epicurus dicere ſolebat, Brevi temporis ſpatio omnes homines perituros eſſe, ſi hominum preces ſequeretur Deus. Nam ſubinde multa, & acerba alii in alios precantur. *Max, ſer.*14.

Epictetus, ad convivium, inquit, invitari, præſentibus utimur. Quod ſi quis juberet apponere ſibi piſces, aut placentas, abſurdus videretur. At nos in mundo petimus à Diis, quæ non dant: cùm multa interim ſint, quæ exhibuerunt. *Stob. ſer.*4.

Poeta quidam cùm amicos ſuos videret egentes, & petentes à diis, quæ illis minimè conducerent, cùm tamen utilia viderentur: pro omnibus ſic ait: Jupiter Rex optima quidem nobis & voventibus, & non voventibus tribue. Mala autem poſcentibus quoque abeſſe jube. Cujus poetæ piam ſententiam ex Platonis lib. 6. ſub perſona Socratis, Erardus Schomberger, ut in omni ſcientiarum genere doctiſſimus, dum bonas literas in celeberrimo Heydelbergenſium Gymnaſio profiteretur, foribus habitationis ſuæ affixam, ſuis (quos privatim docebat) diſcipulis ſemper inculcare ſolebat, his verbis deſcriptam.

Da bona, ſive petare Deus, ſeu nulla petare.
Et procul à nobis mala quæque petentibus aufer.
Et mala, ſive petare nega, ſeu nulla petare.

Leges autem hanc piam, & Chriſtianam poetæ ſententiam apud Brut. quoque *l.*5. *c.*24. *& Valer. Max. l.*7. *c.*2.

AGESILAUM Lacedæmoniorum Regem cùm quidam urgeret, improbe poſtulando, ut promiſſum præſtaret: Rectè ſanè, inquit, ſiquidem juſtum eſt, quod petis, promiſi: ſin minus, non promiſi, ſed dixi. Quo dicto eluſit flagitatoris improbitatem. Verùm cùm efflagitandi finem nequaquam faceret, ſed ſubiiceret. Atqui decet Reges præſtare quicquid, vel capite annuerint: Nihilo magis, inquit, quàm eos qui Reges adeunt, decet ea gerere, loquique, quæ juſta, & honeſta ſunt, ſpectantes ſimul & opportunitatem, & quid Regibus conveniat. *Plut.*

CAMBYSES dicere ſolebat, haud fas eſſe à Diis petere victoriam in equeſtri pugna, eos, qui equitare non didiciſſent, neque ſagittæ ignaros ſuperare illos ſagittando, qui hujuſmodi peritiam callent: neque eos, qui frumenta non ſerunt, precari triticum pulcherrimum naſci: neque ſalutem petere, qui ſibi in bello non caverent. *Ex Xenophonte, & Bruſonio l.*5. *c.*37.

DIOGENES, cùm aliquando ſtipem poſceret, ita ἐρανάρχην, id eſt, eum, qui ſtipibus erogandis erat præfectus, Homerico crimine compellavit:

Τὺς ἄλλυς ἐνάριζε, δ᾽ Ἕκτορος ἴσχεο χεῖρας.
Deſpolia reliquos, teneas ſed ab Hectore dextram.

Dicti feſtivitas in hoc eſt, quo pro ἐράνιζε dixit ἐνάριζε: quorum prius eſt, da ſtipem, alterum armis ſpolia, ſe Hectoris nomine ſignans. Spoliat autem, qui negat egenti: Et ſolet hoc hominum genus eſſe furax. *Laer. l.*6.

Cùm Cynicus quiſpiam dicens, in lecytho ſuo nihil eſſe olei, peteret à Zenone, Zeno negavit ſe daturum: ſed tamen abeuntem admonuit, expenderet, uter ipſorum eſſe impudentior. Poſtulatoris impudentiam impudenti negatione penſabat. *Laert. l.*7. *c.*1.

EPAMINONDAS, cùm hominem nequam ob mediocre ſcelus in vincula conjeciſſet, Pelopidi efflagitanti non dimiſit, ſed amicæ ſupplicanti conceſſit, dicens, Scorta decere, non Imperatores ejuſmodi dona accipere. *Plut.*

PLATO, cùm populus Athenienſis flagitaret, ut Phocion copias in Bœotiam educeret, eamque rem Phocion non fore à Repub. indicaret, edixit, ut quotquot eſſent in civitate ab Ephebis uſque ad ſexagenarios, ſe ſequerentur. Hic reclamantibus ſenioribus, & ætatem excuſantibus: Nihil, inquit, abſurdi meo edicto continetur, quia ipſe natus annos octoginta, unà cum ipſis Dux profecturus ſim. Hac arte temporarium multitudinis calorem retudit. *Plut. in Apopb.*

CLISOPHUS Athenienſis adulator Philippo increpanti cur ſemper aliquid peteret. Obliviſcor, inquit, Lepidus jocus, ſed pugnans cum laudatiſſima ſententia beneficii: accepti meminiſſe, dati obliviſci oportet. *Eraſm. l.*6. *Apopb.*

ANTIGONUS I. cùm frequenter Biantem moleſtè beneficia flagitantem tuliſſet, tandem victus tædio. Date, inquit, Bianti, talentum, vel vi. Sentiens beneficium non impetratum, ſed improbitate extortum. *Eraſ. l.*4. *Apopb.*

Quidam Antigoni amicus, cùm ab eo petiiſſet talentum, nec accepiſſet, poſtulavit ab eo deductores, ac corporis cuſtodes. Rogatus, quamobrem? Ne, inquit, inſidiis, impetret, affingens,

gens, ſe talentum humeris ferre. *Eraſm. lib.*8. *Apophth.*

SCIPIO Africanus, cum à Scipione Africano quidam vetus affectator ex numero amicorum, non impetraret ut ſe præfectum in Africam duceret, & id ferret moleſte: Noli, inquit, mirari, ſi tu à me hoc non impetras. Ego jam pridem ab eo, cui meam exiſtimationem charam fore arbitror, peto, ut mecum profectus proficiſcatur, & adhuc impetrare non poſſum. *Cic. in Verr.*

CATONEM ſibi arctiſſima junctum neceſſitudine rogavit, ut quendam ipſius judicio obnoxium (erat enim quæſtor) miſſum faceret. Ille hunc in modum reſpondit: Turpe eſt nos qui juventuti rectè inſtituendæ authores eſſe debemus, à lictoribus irrideri noſtris. Negavit aſperius, quod injuſte petebatur. *Plut. in Cato. vita.*

Cùm Galli donaſſent Auguſto torquem aureum, centum pondo, ac Dolabella per jocum tentans illum, tandem huc produceret jocum, ut diceret, Imperator torque me dona. Malo te, inquit, civica donare. Feſtiviter ſubmovit poſtulatoris impudentiam, qui nunquam in bello fuiſſet: eòque magis illi conveniebat corona civica, quæ ex quernis, iligniſque frondibus fieri conſuevit, quemadmodum triumphalis ex auro. Quamquam & caſtrenſis, & muralis, & navalis ex auro fieri ſolebat. Qua de re *Vide A. Gell. l.* 5. *c.* 6. Civicam autem Auguſtus, ut honorificentiorem, per jocum obtulit. Nam *Suetonius* refert, eum inter dona militaria aliquanto facilius phaleras, & torques, & quicquid auro, argentoque conſtaret, dare ſolitum, quàm vallares, ac murales coronas, quę honore pręcellerent. Hoc niſi ſcias, friget Auguſti jocus. Tametſi de materia coronarum variant. *Gellius, & Sueton. Eraſm. Rot. l.*4. *apopb. & Bruſ. l.*3. *c.*16.

Græculus quidam ita captare ſolitus eſt Cæſarem Auguſtũ: deſcendenti à palatio honorificum aliquod Epigramma porrigebat. Id cùm fruſtra ſæpè feciſſet, ne deſtitutum videret Auguſtus, Epigramma bene Græcum manu ſua deſcripſit, & Græculo ad ſe venienti obviàm miſit, veluti carmina carminibus penſaturus. Græcus acceptum legit, ac non ſolùm voce, verum etiam nutu, geſtuque corporis laudavit carmen, miratuſque eſt. Deinde cùm acceſſiſſet ad ſellam, qua Cæſar vehebatur, demiſſa in pauperem crumenam manu, paticulos denarios protulit, Cæſarique obtulit his verbis: οὐ μετὰ τύχην τὴν σὴν σεβαστέ, εἰ πλέον ἦχον, πλέον ἐδίδων. Id eſt, non juxta fortunam tuam, Auguſte, ſi plus haberem plus darem. Sequuto omnium riſu, diſpenſatorem Cæſar vocavit, & ſeſtertium centum millia Græculo numerari juſſit. Bene ceſſit Græculo palàm exprobrata principi parſimonia, *Sueton. in ejus vita.*

Cùm à Cæſare Auguſto Romæ Pacinnius Laurus munus peteret, diceretque populari rumore ſparſum, pecuniam haud parvam ipſi à Cæſare datam: ſed tu, inquit, noli credere: Lepido joco ſignificans, ſe non daturam. Alter expectabat, futurum ut Cæſar ipſius pudori ſuccurreret, ne ſi compertum eſſet rumorem eſſe vanum, ipſe ludibrio haberetur. Cæſar aliud indicavit remedium: ſineret homines loqui, quæ vellent, modò ne ipſi, quod erat falſum, perſuaderent. *Macro. l.* 2. *Saturn.*

Idem, præfectura equitum quadam ſubmotus, inſuper & ſalarium ab Auguſto poſtulare eſt auſus: hoc colore, ut diceret, ſe non lucri cauſa ſalarium petere: ſed ut tuo, inquit, judicio videat impetraſſe munus, & ita credar non ab officio ſubmotus, ſed officium depoſuiſſe. Tu, inquit Auguſtus, apud omnes prædica te accepiſſe, ego non negabo. Si nihil movebat petitorem niſi metus ignominiæ, via commonſtrata eſt, qua nihilominus honori ſuo conſulere poſſet, quàm ſi pecuniam accepiſſet. *Macrob.*

Idem Liviæ uxori pro quodam Gallo petenti civitatem, negavit, ac immunitatem obtulit, dicens, ſe facilius paſſurũ fiſco ſuo detrahi, quàm honorem civitatis Romanæ vulgari, nimirum Reipub. dignitatem anteferens privato commodo. *Suet.*

Cùm miles quidam ab Auguſto Cæſare impudenter peteret, ac Martianum videret accedentem, quem & ipſum aliquid improbè petiturum ſuſpicabatur: Non magis, inquit, faciam commilito quod petis, quam quod Martianus à me petiturus eſt. *ibid.*

VESPASIANUS, Cùm quidam è charis miniſtris munus ab eo pro quodam, quem fratrem eſſe aſſimulaverat, peteret, rem diſtulit, donec ab eo, pro quo petebatur, pecuniam extorqueret, quam cum miniſtro fuerat pactus. Qua accepta interpellanti miniſtro urbaniſſime reſpondit: Alium tibi quære fratrem: hic, quem tuum eſſe putas, meus eſt. *Bruſ. l.*2. *c.*3.

HADRIANUS Imp. Romæ cùm in ſpectaculo populus clamore flagitaret, ut aurigam, qui placuerat, liberum eſſe juberet, per tabellam reſpondit. Iniquum eſſe, quod peterent. Si enim ſervum alienum libertate donaret, fieret injuria Domino. Dicas hunc abhorruiſſe ab omni violentia. *Dionyſ.*

Eques quidam Joannes Calaguritanus nomine, ab hoſtibus captus, & ab iiſdem emiſſus carcere, Alphonſum Regem adiit & in ſolatium calamitatis multa poſtulavit ab eo, & impetravit. Quo digreſſo, Rex dixit ad familiares: Diſpeream, inquit, ni metui ne uxorem etiam meam depoſceret eques meus. *Panor. l.*1. *de Alphonſi reb. geſtis, & Eraſ. l.*8. *apopb.*

Alius eques cùm ſubinde ab Alphonſo Aragonũ Rege munera peteret, & acciperet, omnia profudit, & alia deinde petiit. Cui rex ait. Si pergam tibi dare, quæ petis, citius me pauperem effecero, quam te divitem. *Pan. l.*2. *de reb. geſt. Alphonſi.*

JACOBUS de Sirelz, Ep. Treverenſis, Princeps elector, vir induſtrius, ac magni cõſilii, ſed multùm cupidus & ad extollendam Eccleſiæ potentiam nimis attentus, Fridericum Cæſarem apud novam civitatem cùm adiiſſet, & alia, atque alia petens impetraſſet: ſed plura tamen petendo inſtaret: Si non facis, inquit Imperator, petendi finem, ego certè negandi finem facilè inveniam. Quo dicto perquàm lepido, improbum petitorem compeſcuit. *Æneas Sylvius l.*2. *Comment. de reb. geſt. Alphonſi.*

Revocatus ab exilio S. Athanaſius, rogabatur à Conſtantino, unicam Arrianis in ſua civitate Eccleſiam concederet, cui ille: Libens id fecero, Imperator: ſed æquum eſt mihi tantundem concedi Antiochiæ, ut unicam Catholicis Eccleſiam largiaris. *Theod. lib.* 2. *hiſt. c.*12.

OTHONI Cæſari hic etiam locum demus, qui poſtulanti Comiti ſibi daret monaſterium Lariſſenſe; Veluti, ait, non decet margaritas canibus obiicere: ita neq; Imperatori, profano homini, ea quæ Deo ſemel dicata, in profanum uſum elargiri, & ita Comitem, importuna petentẽ, dimiſit. *Hedo in Chron. Germ.*

Illuſtrat etiam priores ſuo ſplendore Alphonſus, Aragonũ Rex: qui dicenti cuidam, decere Principem non ea tantùm, quę verbis promiſit, præſtare, ſed & ea quæ nutu affirmavit; reſpondit: Rectè tu quidem: ſed decet etiam petentes ea poſtulare, quæ juſta ſunt & honeſta; ſin minùs, ſatius eſt promiſſis non ſtare, quàm peccare in leges juſtitiæ. *Ex Panor. l.*3. *de geſt. ejuſdem. Beyerlinck in Apophthegm. Chriſtian.*

Petulantia.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PEtulantia Græcè ἀσέλγεια, eſt voluptas mentem à ratione ad indecoros motus pertrahens: ſive eſt ſubſultatio proterva, & immodeſta, ac procax loquẽdi ſive garriendi cõſuetudo. Videtur autem dicta à petendo, quòd plura petantur quàm honeſtas exigit, Hebræi Chamas vocant, quod eſt violentia, injuſtitia, fraus, calumnia; omnia hæc petulantibus ſunt communia, unde ad loca eorundem recurratur.

---

* Phariſæi.

QUI, ET UNDE DICTI?

PHariſæus dicitur ſeparatus, vel diviſus à voce פרש *Paraſch* quod ſignificat dividere. Secernebantur enim ab aliis per legis obſervantiam, & peculiarem profeſſionem religionis.

Significat etiam *Paraſch* exponere, quia illi ſe legis expoſitores, ſive interpretes profitebantur inter Judæos, erantque eo loco inter illos, quo inter Græcos Philoſophi, niſi dicamus eos fuiſſe expoſitos, ſive ſeparatos ab aliis ob eminentem eruditionem.

EORUM AUCTORITAS.

Tantæ apud populum, ait *Joſephus*, auctoritatis, & eminentiæ erant Phariſæi, ut juxta eorum reſponſa fierent, quæ ad cultum ſpectabant divinum, & precationes ſolennes. Immò Pontifex Hyrcanus populo prius gratiſſimus, cœpit eidem diſplicere, quod cum ſuo fratre ſe opponeret Phariſæis, *l.*13. *Antiq. c.*8. *&* 9. *& l.*18. *c.*2.

ANTIQUITAS. ORIGO,

Idem Joſephus memorat illos paulo ante Chriſti adventum ortos fuiſſe ex duabus familiis Iſraelitarum, Samai, & Hillel. quod tamen S. Hier. non admittit: exiſtimans illos antiquiores. Nam cùm Scribę, & Phariſæi ſæpe pro iiſdem uſurpentur, conſtat, Scribas cum lege habuiſſe principium, ut colligit ex *c.*10. *Lev. Tolet. in c.*18. *Joan.*

PARTITIO, ET DIGNITAS.

Erat duplex ſecta Phariſæorum: una illorum qui originem trahebant non à Samai, vel Gamaliel, ſed ab Hillel: eratq; hæc magis exquiſita, atq; ex ea S. Paulus erat, ideòq; illam vocat certiſſimam ſectam, id eſt, exactiſſimam, *Act. c.*26. *verſ.*5. Et Gamaliel præceptor Pauli erat antiquioris Hilleletarũ diſciplinæ ſectator. Erant autem Phariſæi eo loco inter Judæos, quo apud nos Religioſi, ob arctiorem vivendi normam.

EORUM HABITUS.

A Phariſæi fimbrias protrahebant palliorum, quas Dei juſſu Hebræi in quatuor angulis Hyacinthinas geſtabant, atque in oris etiam illarum ſpinas ligabant, ut meminit *S. Hier. in c.23. Matt*, quarũ punctionibus pedes, ac tibias cruẽtatas oſtentabãt in ſignũ aſperioris vitæ. Præterea quoniam *Deut. c.6.* præcipiebantur mandata Dei ligari ante oculos, illis legem in membrana ſcriptam ante frontem complicabant, & capiti in modum coronæ circumponebant. Erant inſuper dediti crebris, & quotidianis purificationibus, ut conſtat. *Matth. 15. & Luc. 11.*

EORUM HYPOCRISIS.

Frequentiſſimè fimbriæ, & philacteria Phariſæorum à Chriſto corripiuntur, uti & eorum purificationes ad decimationes, idque propter hypocriſin, quòd omnia opera facerent, ut ab hominibus viderentur. Id quod Chriſtus illis palàm exprobravit. *Matt.23. Luc.11.* & refert, *Epiph. hæreſ. 15.* illos ſolitos opera præſtare ad ſolam gloriam compoſita, ut aliquid popularis auræ inde captarent. Ideòque de illis Dominus fatetur, quòd receperint mercedem ſuam.

* Pharmacopœi.

B QUi magis propriè Pharmacopolę; dicuntur Pharmacorũ venditores, cõfectores, diſtributores. Referuntur ad medicinã, quatenus Pharmaceutice pars eſt medicinæ, quæ Pharmaca ad curandum prębet. ☞ *Vide de Pharmacopolis, locũ de Mechanica. Tit. Mechanici opifices, Meditationi ſervientes.*

* Philautia.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PHilautiam Græci vocant amorem, ſive æſtimationem, quo quis ſeipſum præ aliis amat, & æſtimat, quem *Horat.* cœcum appellat, & improbum, dignumque notari. Audi *Terent. in Adelph. 1. 2.*

Homine imperito nunquam quidquam injuſtus:
Qui niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat.

Philautiam eleganti Emblemate expreſſit *Alciatus*.

Quod nimium tua forma tibi, Narciſſe, placebat.
In florem, & noti eſt verſa ſtuporis olus.
Ingenti eſt marcor, cladeſque φιλαυτία, doctos
Quæ peſſum plures datque, deditque viros.
Qui veterum abjecta methodo, nova dogmata quærunt,
C *Nilque ſuas præter tradere phantaſias.*

NATURA, ET INCOMMODA.

PHILAUTUS qui ſe amat, *inquit Plato l.5. de legib.* cum ſeipſum magis quàm veritatem honorandum putet, quid juſtum, bonum, pulchrum ſit, malè judicat; additque: Decet ſanè, eum qui magnus vir futurus eſt, neque ſeipſum, neque ſua diligere; ſed juſta ſemper, ſive ab ipſo, ſive ab alio gerantur.

Hinc *Aug. initio l.1. de civit.* duas civitates conſtituit, unam Dei, alteram Diaboli: civitas, inquit, Dei incipit, & conſtruitur ex amore Dei, & creſcit ad odium ſui ipſius: civitas verò Diaboli incipit ab amore ſui, & creſcit uſque ad odium Dei per contemptum proximorum; qui enim proximum odit, & contemnit, mox etiam Deum odio habebit, & contemnet. Nam hæc duo maximè ſibi contrariantur, ſcilicet charitas, & philautia. i. amor ſui: charitas enim ſe dilatat, & diffundit in Deum & proximum, amor verò ſui omnia ſua in arctum conſtringit, & reflectit in ſeipſum, *ut notat Theoph.*

Unde *S. Anaſ.* ex *Aug.* quædam vitia paſtoribus Eccl. applicans, & explicans omnia oſtendit manare ex philautia, ſive ex amore ſui.

Quare rectè concludit *S. Aug. tract. 123. in Joan.* amorẽ ſui D non eſſe amorem, ſed odium ſui. Neſcio, inquit, quo inexplicabili modo, quiſquis ſeipſum, non Deum amat, non ſe amat: & quiſquis Deum, non ſeipſum amat, ipſe ſe amat. Qui enim non poteſt vivere de ſe, moritur utique amando ſe: cùm verò ille diligitur, de quo vivitur, non ſe diligendo magis diligit, qui propterea ſe non diligit, ut eum diligat, de quo vivit.

HIEROGLYPHICA.

Quo ſit in prolem ſuam affectu Simia, vulgò notum eſt. Hinc illud oritur hieroglyphicum, ut Suffenos Catullianos, ſeu ſtolidos ſui admiratores, per fœtam Simiam aptè ſignificari poſſe, nonnulli contendant. *Pier. Val. l.6.*

Philoſophia.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PHiloſophia, Greca dictio eſt, φιλοσοφία. Eſt amor ſcientiæ, *ſecund. Aug. l.4. de Civitate Dei: & eundem contra Academicos, & Boetium in Arithmetica.* Componitur autem ex φίλος, quod eſt amicus, & σοφία, quod eſt ſapientia.

Hebręi philoſophiã appellãt *Cochmach*, id eſt, ſapientiã rerũ divinarũ, & humanarum, à verbo *Caham.* Sapuit, mẽte ſapiens E fuit, ſapienter egit, fuit præditus ſapientia. Hinc per inverſionẽ radicis eſt μάγοι, magus, ſapiens, arcanorum divinorum interpres: & μαγία, quam Perſæ acceperunt pro ſapienti, perfectaq; rerũ naturalium cognitione, unde & magi ab illis appellabantur, quos Græci Philoſophos vocant, Latini Sapientes. *Vide Mat.2. c. v.1.* &c. Poſtquã verò magi apud Perſas divini cultus prætextu, legib. omnib. vetitas artes exercuiſſent, in tantùm aucta eſt eorum vanitas, ut non ſolũ obſervatione ſiderũ futura prædicere: ſed actibus quibuſdam & maleficiis, ſe omnia ſcire & facere poſſe profiteretur *Cachasb*, ſapiẽs, magus, induſtrius, in rerũ divinarum, & humanarũ cognitione exercitus. *Cachama*, mulier ſapiens, induſtria. *Vide Prov. 10.1.8.14. Eccl. 2.14.*

* COMMENDATIO, ET OFFICIA.

O vitæ Philoſophia Dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, quia non modò nos, ſed omnino hominum vita ſine te eſſe potuiſſet: Tu urbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatẽ vitæ cõvocaſti, tu eos primò inter ſe domiciliis, deinde cõjugiis, tum literarũ, & vocum cõmunione junxiſti: tu inventrix legum, tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti: ad te F cõfugimus, à te opem petimus: tibi nos, ut anteà magna ex parte, ſic nunc penitus, totoſq; tradimus. *Cic. in Tuſcul. l.3.* Atque in hunc penè ſenſum Perſius de Philoſophia verba faciẽs, ait:

Capite hinc juveneſque, ſeneſque
Finem animæ certum, miſeriſque viatica canis.

Philoſophia omnium mater artium, quid eſt aliud, niſi, ut Plato ait, donum, ut ego, inventum Deorum? Hæc nos primùm ad illorum cultum, deinde ad jus hominum quod ſitum eſt in generis humani ſocietate, tum ad modeſtiam, magnitudinemque animi erudivit: eademque ab animo, tanquam ab oculis, caliginem diſpulit, ut omnia ſupera, infera, prima, ultima, media videremus. Prorſus hæc divina mihi videtur vis, quæ tot res efficiat, & tantas. Quid eſt enim memoria rerum & verborum, quid porro inventio? profectò id, quo nec in Deo quidquam majus intelligi poteſt. *Cic. l.1. Tuſ. q.*

Conſideranti mihi ſæpè alias virtutes: Indagatrix, expultrixque vitiorum, divinarum particeps rerum philoſophia videbatur, & nunc maximè cum naturæ increpatione, cum remotarum ab oculis rerum inveſtigationem ſibi vindicet. Nam cùm cæteri magnitudine rei territi, ejuſmodi laborem arduum, & profundum exiſtimarent; ſola philoſophia ſuum G non deſpexit ingenium, nec indignam ſe exiſtimavit, cui divinarum, humanarumque rerum diſceptatio deferatur. Quid enim mundo præſtantius? Lauda quam putas ſpeciem portio à te laudabitur mundi. *Lucius Apulejus de dog. Plat.*

Pythagorã, ut ait auditor Platonis Ponticus Heraclydes, vir doctus principe Phliunte ferunt veniſſe, eumq; cũ Leone principe Phliaſiorũ doctè, & copiosè diſſeruiſſe quędã: cujus ingeniũ, & eloquentiã cùm admiratus eſſet Leon, quæſiviſſe ex eo, qua maximè arte confideret? at illũ, artem quidem ſcire nullã, ſed eſſe Philoſophum: admiratum Leonẽ novitatem nominis, quæſiviſſe, quinam eſſent philoſophi, & quid inter eos, & reliquos intereſſet? Pythagorã autẽ reſpondiſſe, ſimilem ſibi videri vitã hominum, & mercatũ eum, qui haberetur maxime ludorũ apparatu totius Gręcię celebritate. Nã ut illic alii corporib. exercitatis gloriã, & nobilitatẽ coronæ peterẽt, alii emendi aut vendendi quæſtu, & lucro ducerentur: eſſet autẽ quoddam genus eorũ, idq; vel maxime ingenuum, qui nec plauſum, nec lucrum quęrerẽt, ſed viſendi cauſa venirẽt, ſtudioſèq; perſpicerent, quid ageretur, & quando: itẽ vos quaſi in mercatus quadã celebritate ex urbe profectos aliqua, ſic in hanc vitam ex alia H vita, & natura profectos, alios gloriæ ſervire, alios pecuniæ, raros eſſe quoſdã, quis cæteris omnib. pro nihilo habitis, rerũ naturã ſtudiosè intuerentur: hos ſe appellare ſapientiæ ſtudioſos, id eſt enim Philoſophos, & ut illic liberaliſſimũ eſſet ſpectare, nihil ſibi acquirentẽ: ſic in vita longè omnibus ſtudiis contemplationem rerum, cognitionemque præſtare. *Cic. Tuſc. q. lib. ult.*

Dicet aliquis, quid mihi Philoſophia prodeſt, ſi Fatum eſt? quid prodeſt, ſi Deus Rector eſt? quid prodeſt, ſi caſus imperat? nã & mutari certa nõ poſſunt, & nihil præparari poteſt adverſùs incerta, ſi aut conſilium meũ Deus occupavit, decrevitque quid facerẽ, aut conſilio meo nil fortuna permittit. Quidquid eſt ex his, Lucili, vel ſi omnia hæc ſunt, philoſophandum eſt, ſive nos inexorabili lege fata conſtringunt, ſive arbiter Deus univerſi cuncta diſpoſuit, ſive caſus res humanas ſive ordine impellit, & jactat. Philoſophia nos tueri debet, hæc adhortabitur, ut libenter Deo pareamus, ut fortunæ cõtumaciter reſiſtamus, hęc docebit, ut Deũ ſequaris, feras caſũ. *Sẽ. ad Lucil. ep.16*

Hoc ſcio, neminẽ poſſe benè vivere, ſed nec tolerabiliter, ſine ſapientiæ ſtudio: cùm omnia habueris, tunc & habere ſcientiã voles, & ſapientiam, hæc erit ultimũ vitæ inſtrumentũ. *ib. ep. 17*

Facere

Facere docet Philoſophia, non dicere, & hoc exigit ut ad le- A gem ſuam quiſque veniat, ne orationi vita diſſentiat, ut ipſa inter ſe vita unius, ſine omnium actionum diſſenſione, coloris ſit, Maximum hoc eſt, & officium ſapientiæ, & judicium, ut urbis opera concordent, ut ipſe ubiq; par ſibi, idemque ſit. *Ibid. c.10.*

Eleganter ad rem propoſitam Nicephorus: Veluti arcana, & divina quædam res cœlitus ad homines delapſa eſt Chriſtiana (quem monachis veteribus Nicephorus adſcribit) Philoſophia: quippe quæ & diſciplinarum artes, & diſputationum nugas ut quæ ſupervacaneæ ſint, otiumque, quod in ſtudiis melioribus poni queat, ſibi vindicent, impedimentoque adeò ad puritatem vitæ ſint, prorſus negligat: ſolaque dativa utens virtute, ea quæ ad illam perficiendam, & ad vitia tollenda faciunt, doceat, & excolat, quæ verò inter hæc habentur media, eorum nullam ducat rationem, prorſus autem circa res verſetur honeſtas, atque eos qui à vitiis longè abſint, virtutem autem minus conſectentur, pravos atque improbos cenſeat. Non enim oſtentationem, ſed actionem virtutis admittit: nihil prorſus eam, quæ ab hominibus provenit gloriam faciens. Et cùm generosè, fortiterque animæ perturbationes expugnat, tum neceſſarias naturæ res non ſupra modum cu- B rat, vilipendens etiam quaſcunque corporis imbecillitates. Viribus autem à divina mente acceptis ad immortalem illam mentem ſublimis tollitur, nocte, dieque illam cogitans, atque intuens: mirificis etiam modis colens, continuiſque precibus concilians. Puritate verò animi, bonorumque operum factis, ad ſinceritatem religionis graſſans, externas expiationes, & quæcumque ejus generis ſunt luſtrationes, deſpuit, & unum piaculum eſſe peccatum ipſum putat. Atque ita rebus externis ſuperior facta, imperiumque (ut ita dicam) in eas obtinens, neque ab inordinata vita, neque ab ulla neceſſitate, ab honeſto, debitoque propoſito ſuo tranſverſa agitur, neque contumeliis affecta perturbatur. Sed neque indignum quidquam patiens, vindictam meditatur. Tantùm etiam abeſt, ut vel morbus, vel rerum neceſſariarum inopia eam adurgens de ſtatu ſuo deturbet, ut talibus quoque ærumnis magis lætetur, generoſitatem, & manſuetudinem ſuam declarans. Per vitam itidem omnem illud ſtudet, ut quàm minimo indigeat, atque quantum humanæ naturæ captus permittit, proximè ad Deum accedere nititur. Tranſitum autem, ſive diverticulum præſentem exiſtimans eſſe vitam, neque occupationibus negotiorum irretitur, neque providentia rerum præſentium tenetur. Et habitum hominis ſuccinctum, expeditumque, qui nullis ſit ſuper- C fluis rebus oneratus laudans ad futuram reſpicit beatitudinem, feliceinque illam quietem expectat: omni quoque erga Deum pietate, in animo ſuo, veluti in domicilio excepta, verborum fœditatem, ut rem integram, repudiat. Quas enim illa actiones à moribus ſuis longè proſcripſit, earum neque mentionem verbis facere ſuſtinet. Naturæ verò neceſſitates paulatim conſtringens, ut carnem moderatione domans, laſciviam caſtitate conprimit, injuſtitiam æquitatis amuſſi propellit, mendacia exigit veritate, compoſito vivendi more omnem accipit inæqualitatem. Familiarius etiam pro ſocietate humana ſe hominum accommodando, & proximorum animis conformando, benè vivendi inſtitutum cõfirmat extraneorum ſimul, & amicorum, ut eis provideat, curam habet: egentium res ſuas, & opes ducit eſſe communes, & cuicunque debentur, tribuit. Gaudet illa cum gaudentibus, mœrentibus nihil non adhibet conſolationis. In ſumma ad id, quod re vera ſummum bonum eſt, ſtudium omne convertens ſermonibus caſtis, & cogitationibus ſpiritualibus ſeipſam erudit, cultum formæ ſuperfluum prorſus negligit, maledicta magnopere averſatur: col- D loquia cum veneratione, & honoris præfatione ingreditur, auditorem priùs velut medicamento curans. Longè ab ea abeſt iracundia, convicium, jurgium. Quòd enim vera ratione prædita eſt, irrationalem omnem declinat motum: &, ut ſemel dicam, perturbationum, quæ vel in anima, vel in corpore ſunt, omnium domina exiſtit. *Niceph. Eccl. hiſtor. l.8. c.39.*

Sic & Juſtinus Martyr Philoſophus: dici non meretur ajebat, qui Chriſtianos velut impios inſimulat: eoſque illarum rerum propalam reos agit, quorum ipſe prorſus ignarus ſit: hocque eo moliens, quò ſolum deſiderio, & voluntati imperitæ multitudinis quam ipſe ac ſuis ſimiles errore cæcaverunt, ſatisfaciat. Quòd ſi, cum Chriſti doctrinam non perlegerit, in nos tam nequiter incurſet, omnino nequam eſt, & par plebeis, imperitiſque hominibus, qui maxima ex parte præcavent, ne de his, quæ norint, vel temerè diſceptent, vel falſa teſtimonia dicant. Sin verò cum perlegerit, magnum in illis, & abditum myſterium non intelligat: aut cùm intellexerit (ne veniat in ſuſpicionem, quòd ejus religionis ſit) hæc agat, eſt multò planè ignavior, & nequior: quod quidem imperita, ac temeraria vul- E gi opinione ac inani metu victus, tam turpiter ſuccumbit, ceditque. *Euſeb. l.4. Eccl. hiſt.*

Quo autem in pretio apud veteres Indos fuerit Philoſophiæ ſtudium, vel exhinc clarum evadit, quòd non quoſcumque ad illud abſque diſcrimine capeſſendum admiſerint, ſed probare eos primum voluerint, ut eſt teſtis Philoſtratus. Apud Indos pauci philoſophiam attingunt, & hi tali ratione probantur. Opus eſt adoleſcentem decem, & octo annos natum penes fluvium Hypaſim ad eos pervenire: atque antea publicè profiteri ipſum oportet ſe operam philoſophiæ daturum, ut liceat volentibus à tali incepto prohibere, ſiquidem minimè purus à ſcelere. Scelus autem dico primum à patre, matreve proveniens. Cavendum enim, ne quid ab illis turpitudinis ſortiatur; neve ab eorum parentibus uſque ad genus tertium rurſus pergentibus: quo in genere quæritur, ne quis eorum contumelioſus, aut incontinens, aut avarus, aut injuſtus fuerit, ubi autem in ipſis nulla vitiorum macula reperitur, tum adoleſcentis mores diligenter inſpiciunt, multipliciter illum tentantes ac probantes: & primò quidem an ingenio, ac memoria valeat, experiuntur, an ſit natura verecundus, & non aſtu ad tempus id ſimulans. Deinde an ſit ebrioſus, an gulæ deditus, an F jactator, an ridiculus, an audax, an conviciator, an parentibus, aut doctoribus, inſtitutoribuſve uſquequaque obtemperans, an formoſitate ſua abutens, *l.2. Appollonii, c.12.*

*APOPHTHEGMATA ETHNICORUM.

Thales facillimum eſſe dicebat Philoſopho ditari, idque tali facto probavit. Omnem oleam antequam florere cœpiſſet, in agro Mileſio coemit. Animadverterat enim, præſcientia quadam olearum ubertatem fore. Hoc pacto os obturavit iis, qui jactabant, in Philoſophis paupertatem non eſſe virtutis, ſed neceſſitatis. *Cic. lib. de divinatione.*

BION cùm malè audiviſſet, quòd adoleſcentem quendam mollem in diſciplinam non recepiſſet: Tenellus, ait, caſeus non attrahitur homo: ſignificans, pueros delicatulos ad Philoſophiæ ſtudia nequaquam eſſe idoneos. *Laert. lib 4. c.8.*

Idem, Rhodi cum Athenienſes darent operã rhetoricis, ipſe Philoſophiã docebat. Ob id reprehenſus, ita reſpondit: Triticũ advexi, & hordeũ vendo. Sentiens, abſurdũ eſſe ab ipſo requiri deteriora, cùm attuliſſet meliora. Nam Philoſophia, veluti triticum, cibus eſt hominum: hordeum equorum, ſimul innuens, ſolum Philoſophum loqui, Rhetores hinnire potius. *Ibidem.*

PYTHAGORAS dicebat, vitam humanam eſſe ſimilem panegyri, hoc eſt ſolenni hominũ conventui, ad quẽ alii cõveniunt G certaturi, alii negotiaturi, nonnulli ſpectatores modo futuri. Ac cæteros quidẽ omnes eſſe ſollicitos, ſolum ſpectatorẽ tranquillum frui celebritate, hunc ſpectatorem ajebat eſſe philoſophũ, qui non ob aliud in hoc mundi theatro prodiſſet, quàm ut naturas rerum, ac mores hominum contẽplaretur. *Laert. l. c.1.*

DIOGENES negabat illos debiles, ac mancos appellandos, qui ſurdi eſſent, aut cæci, ſed qui peram non haberent. Luſit autem affinitate vocum, nam ἀνάπηρος Græcis dicitur mancus, aut mutilus, ἄπηρος, qui pera caret, innuens opinor, hominem ad omnem vitæ functionem inutilem eſſe, qui expers ſit Philoſophiæ. Pera enim Cynicorum penus erat. *Ibid.*

Idem, dicenti cuidam, quem ad ſapientiæ ſtudium hortabatur. Non ſum idoneus Philoſophiæ. Quid igitur vivis, inquit, ſi tibi nulla rectè vivendi cura eſt? Non enim in hoc vivit homo, ut vivat tantùm, ſed ut diſcat rectè vivere. Natura dat vivere, Philoſophia dat rectè vivere. Natura gignit ad virtutem dociles, doctos non gignit. *Laert.*

Idem, percontanti, quid lucri caperet ex Philoſophia? Ut nihil, inquit, aliud, certè hoc, quòd omnem fortunam ferre H paratus ſum. *Laert. lib.6.*

Cum Plato laudaret quendam hoc nomine, quod erga omnes eſſet humaniſſimus: Quid, inquit Diogenes, illi tribuendum eſt, qui tot annos in Philoſophia verſatus nullum hactenus affecit dolore? Sentiens proprium Philoſophi munus eſſe mederi vitiis hominum, id autem fieri non poſſe niſi metu ac dolore; metu probri, dolore præſentis ignominiæ. *Ibidem.*

ZENO CITTICUS, cùm cõſuluiſſet oraculum, quonã pacto vitam optimè inſtituere poſſet? reſpondiſſe fertur: Si cõcolor fieret mortuis. Ille igitur ſentiens ſe ad veterum incitari lectionem, animum ad Philoſophiæ ſtudium adjecit. *Laert. lib.7.*

Idem aſcendens in Theatrum, cithara canente Amæbeo, verſus ad diſcipulos, dixit: Eamus, ut pernoſcamus, quam vocem, quemque concentum dant inteſtina, nervi, lingua, & oſſa, quibus adeſt ratio, numerus, & ordo. Si in rebus inanimis tantum valent illa, quantum plus valebunt, ſi in omni hominis vita ſervantur. *Idem l.9. c.5.*

Idem, negotiator purpuram vehens naufragium fecit juxta A Piræum, atque hac occaſione ſeſe contulit ad Philoſophiam. Itaque ſolitus eſt dicere. Tum bene navigavi, cùm naufragium feci. Alii narrant, eum, cùm Athenis eſſet, audiſſetque merces periiſſe naufragio, dixiſſe: Bene facis fortuna, quæ me ad Philoſophiam (alii ad pallium) apellas. *Laert. l.7.c.8.*

Adoleſcens quidam, quære infrà, *Philoſophiæ fructus.*

Crates, rogatus, quid illi è Philoſophiæ ſtudio acceſſiſſet emolumenti? reſpondit.

Θέρμων τὲ χοίνιξ, ϗ τὸ μηδενὸς μέλειν.
Chœnix lupini, & abſque cura vivere.

Sentiens, minimo contentum, ob libertatem ſuaviter vivere: *Laert. lib.6. c.5.* Idem rogatus, quoad eſſet Philoſophandum? Donec, inquit, exercituum duces qui ſunt, videbuntur eſſe agaſones. Sentiens opinor ibi maxime opus eſſe philoſophia, ubi qui populo præſunt, ſtolidi ſunt, & indocti: & homines, quibus imperant, habent pro aſinis. *ibid.* Idem dicebat, philoſopho nulla re opus eſſe: Eoque pecuniam depoſuit apud trapezitam hac conditione, ut ſi liberi eſſent, idiotæ, traderet eam illis: ſin philoſophi, nummos diſtribueret in B plebem, quod indoctis opus eſſet pecunia: Philoſopho nec opus, nec utilis *ibid.*

Aristippus rogatus quid differrent docti ab indoctis? Quod, inquit, equi domiti ab indomitis. Quemadmodum equus indomitus ad omnem uſum incommodus eſt ob inſcitiam, ac ferociam: ita qui rapitur affectibus, quos ſola domat Philoſophia, ad omnem vitæ conſuetudinem inutilis. *Laert. lib. 2. c. 8.*

Idem rogatus quid fructus cepiſſet ex philoſophiæ ſtudio? Quod cum quibuslibet, inquit, libere loqui poſſim. Nec enim metuebat potentes, nec faſtidiebat humiles. Quoniam animum habebat ſpe pariter, ac metu liberum, nemini ſerviebat, neque cuiquam aſſentabatur *ibid.*

Idem juſſus eſt aliquando è ſua Philoſophia nonnihil dicere, cumque detrectantem urgeret Dionyſius: Ridiculum, inquit, ſiquidem me ut de philoſophia loquar, rogas, & quando oporteat loqui ipſe me doces: Senſit, hoc ipſum eſſe Philoſophi ſcire, quando loquendum ſit, quando tacendum: at qui petit, ut audiat aliquid ex philoſophia, declaret ſe Philoſophiam à Philoſopho velle diſcere rurſus, qui cogit ad loquendum, is videtur ipſo Philoſopho doctior, ut qui melius norit loquendi C tempus, quam Philoſophus ipſe. *ibid.*

Idem percontanti Dionyſio, quid eximium haberent Philoſophi præ cæteris hominibus: Ut, inquit, etiam ſi omnes leges aboleantur tamen æqualiter victuri ſimus. Vulgus legum preſcriptis arcetur à peccando: Philoſophus rationem habet pro legibus, non ideò quod rectum eſt faciens, quia lex juſſit: nec à ſcelere temperans, quia lex vetuit, ſed quia novit illud per ſe rectum eſſe, hoc per ſe turpe. *ibid.*

Idem percontanti Dionyſio qui fieret, ut Philoſophi divitum limina tererent, non contra; Quoniam, inquit, philoſophi norunt quibus egeant, illi neſciunt. Philoſophi ſciunt abſque pecunia vivi non poſſe: itaque petunt ab eis qui quod opus eſt dare poſſunt. Quòd ſi divites æque intelligerent ſe egere ſapientia, multo magis tererent Philoſophorum limina. Miſerior eſt enim egeſtas animi quam corporis: atque hoc miſeriis egeni ſunt divites, quod non intelligant, quam pretioſa, quamque neceſſaria re careant. *ibid.*

Idem petiit talentum à Dionyſio, cùmque rex redarguendi nactus occaſionem, diceret. Nonne tu prædicabas, Philo- D ſophum non egere? Da, inquit, & poſteà de hoc diſputabimus. Cum accepiſſet pecuniam, An non, inquit, recte dixi Philoſophum non egere? Non eget, qui cùm opus eſt, habet, unde accipiat. *ibid.*

Quidam multa debacchatus in Philoſophos etiam hoc adjecit, quòd conſpiceret illos ſemper obſidere fores divitum, cui Ariſtippus: Et medici, inquit, ægrotantium domos frequentant, nemo tamen ægrotus eſſe mallet, quam medicus. Scitè retorſit convitium. Philoſophi prædicant felicitatem quam uni ſapienti vindicant: & tamen aſſiduè verſantur apud divites: aliquid venantes ab aliis, unde colligebat, divites eſſe beatiores quàm Philoſophos. Sed ille interpretatus eſt, Philoſophos ideò potiſſimum colere divites, quòd ob luxum, ac delitias cæteris mortalibus, & ſtultiores, & corruptiores, magis egerent præceptis ſapientiæ: Philoſophus autem animorum male habentium medicus eſt. Porrò beatius eſt eſſe medicum quàm ægrotum. *Laert. lib.2. cap.8.*

Idem in Aſia comprehenſus eſt ab Artapherne ſatrapa. Id temporis cùm quidam eum interrogaret, num & illic haberet ſolitam animi fiduciam: Ineptè, inquit, quaſi unquam fuerim fidentiori animo quàm nunc alloquuturus Artaphernem. Nimirum hoc illi præſtabat Philoſophia, ne quem hominem E metueret, ſed cum omnibus liberè ageret. *ibid.*

Orator quidam Ariſtippum reum defendit in judicio, vicitque litem. Is cum velut artem ſuam præferens philoſophię, diceret. Quid tibi profuit Socrates, Ariſtippe? Hoc inquit, quòd oratio, quam pro me dixiſti, vera fuit. Defenderat ut virum bonum innocentem. Ut autem talis eſſet, qualis ab oratore prædicabatur, Socrates præſtiterat, à quo Philoſophiam didicit. Orator non id efficit, ut quis ſit vir bonus: ſed ut talis videatur judicibus, etiamſi non ſit. Præſtantius igitur eſt, quod præſtat Philoſophus, quàm quod orator. *ibid.*

Idem cuidam exprobranti, quòd in propria cauſa oratore conducto fuiſſet uſus: Nihil mirum, inquit, & cœnam apparaturus coquum conduco. Alter videri volebat, ob hoc oratorem præſtantiorem philoſopho, quòd ejus operam conduceret, ille retorſit in diverſum, innuens, inferiorem eſſe qui conducitur: oratoris enim munus inferius eſt, quàm ut Philoſopho conveniat. *ibid.*

Idem eos, qui liberalibus imbuti diſciplinis Philoſophiam F negligerent, dicebat eſſe ſimiles procis Penelopes: quòd hi cum Melanthe, & Polydora ancillis rem habuerint, & omnia potius ſe habituros ſperaverint, quàm dominæ nuptias. Senſit liberales diſciplinas eſſe velut pediſſequas Philoſophiæ moralis, quæ cum primis ſit adhibenda, & cujus gratia reliqua diſcuntur omnia. Simile quiddam dixiſſe fertur, & Ariſto de Ulyſſe, qui cùm deſcendiſſet ad inferos, ait illum cum omnibus ferè manibus fuiſſe colloquutum, cùm ipſam reginam ne videre quidem potuit. *Laert. lib. 2. cap. 8.*

Socrates Phyſiognomon Zopyrus, qui profitebantur ex habitu corporis, & oris lineamentis poſſe hominis ingenium certo deprehendi, inſpecto Socrate pronunciavit, illum eſſe hominem bardum, ac ſtupidum, tum mulieroſum ac puerorum amoribus impurum, vinolentum, & intemperantem. Cùm amici vehementer indignati minarentur homini, Socrates illos cohibuit, dicens: Nihil, inquit, mentitus eſt: omnino talis eram futurus, niſi me Philoſophiæ gubernandum tradidiſſem. *Eraſm. l.3. apopb. ex Cic.3. Tuſc. qq.*

Plato, tum demum bene cum rebus humanis agi dicere ſolebat, quando vel Philoſophi regnarent, vel Reges philoſopharentur. *Polyb. lib.12. hiſt.* G

Zeno Citticus dicebat, pleroſque Philoſophos in multis ἀσόφους εἶναι, id eſt non ſapere: ſed in fortuitis, vulgaribuſque rebus eſſe imperitos, & adiiciebat illud Scaphei, qui cùm animadverteret quemquam è diſcipulis vehementer inflatum, percuſſo dixit: Bonum non eſt in magno, ſed in bono eſt magnum: οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ κεῖται, ἀλλὰ ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα. Magnum enim eſt, quicquid recte fit, at non ſtatim bonum eſt, quod magnum. *Laert. l. 1. c. 1.*

Poſtquam Ariſtippus magnam pecuniarum vim ſibi comparaſſet, & admiratus Socrates diceret. Unde tibi tam multa? Unde inquit, tibi tam pauca? Non enim minus admirandum arbitrabatur, quòd Socrates tantus Philoſophus, & qui tantos haberet amicos, pauper eſſet quàm quod ipſe dives. *idem.*

Idem interrogatus, cur ſic ipſum argueret Dionyſius? Eandem, inquit, ob cauſam, ob quam cæteri. Significans, Philoſo- H phi libertatem omnibus eſſe moleſtam. *Laert. lib.2. c.8.*

Diogenes, cuidam procaciter interroganti, cur cùm nihil ſciret, ſe Philoſophum profiteretur: Si Philoſophum, inquit, ſimulo, hoc ipſum eſt Philoſophari. Subnotans Philoſophiam rem eſſe uſque adeo difficilem, ut eam vel ſimulare, magna ſit Philoſophiæ pars. Quemadmodum multum regis habet, qui ſcitè regis perſonam poſſit gerere. Et qui ſimulat, imitatus: at imitari Philoſophos, eſt Philoſophari, hoc eſt, Philoſophiæ ſtudioſum eſſe. *Laert. l.6.*

Idem quodam die cùm populus theatro egrederetur, ipſe adverſus populum nitens ingrediebatur: interrogatus, cur id faceret? Hoc, inquit, in omni vita facere ſtudeo, Sentiens, hoc eſſe Philoſophari, in omnibus actionibus quam maximè à multitudine diſſidere: propterea quòd vulgus hominum cupiditatibus agitur, non ratione. *ibid.*

Idem percontanti, cur cæteris mendicis benignè largirentur homines, Philoſophis non item? Quoniam, inquit, ſperant citius futurum, ut claudi, cæcive fiant, quàm Philoſophi. Qui miſerentur afflictorum, quales fere ſunt medici, faciunt hoc contemplatione communis hominum ſortis: ita cæco opitulantur, cogitantes, hoc ipſum mihi poterit accidere, de Philoſopho non item cogitant. Dictum feſtivius eſt ob abſum verbi

ſperant

ſperant, ut philoſophus fias, ſperari poteſt: cœcitatem, aut A claudicationem nemo ſperat. *Laert.*

Idem interrogatus, an Philoſophi placentis veſcerentur: Omnibus, inquit, ut cæteri homines. Rurſus hic aliud reſpondit, quàm interrogabatur. Quærebat percontator, an conveniret philoſophis, frugalitatem profitentibus, veſci placentis, cibis delicatorum? Diogenes εὐγωνίων ita reſpondit, quaſi philoſophi non eſſent homines, & tamen veſcerentur cibis humanis. Siquidem animalia bruta veſcuntur quibuslibet, bos comedit fœnum, canis nequaquam, aves amant frondes ſalicum, equi avenam. Quædam aves paſcuntur granis juniperi, quædam canivoræ ſunt, quædam veſcuntur piſcibus. Huc alluſit Diogenes. *Ibidem.*

Demonax à quodam interrogatus, cujuſnam ſectæ philoſophus eſſet. Quis, inquit, tibi dixit me philoſophum eſſe? & ſic ridens abivit. Sed cùm iterùm rogaretur, cur riſiſſet? reſpondit; Cur non riderem, cùm tu me ex barba philoſophum eſſe judicas, ipſe autem barbam non habes? *Eraſm. lib.9. apopb.*

Epictetus, eos, qui barba, & pallio, verbiſque magnificis philoſophos agebant, dicere ſolebat eſſe philoſophos ἄνευ τοῦ B πράττειν μέχρι τοῦ λέγειν, id eſt, factis procul, verbis tenus *Gellius lib. 17. c. 19.*

Timotheus Cenonis F. cùm floreret omnino rebus ſecundis, & facillimè urbes caperet, ſe felicem, ac beatum eſſe prædicabat. Verùm cum in Platonem philoſophum fortè incidiſſet, hominemque philoſophantem diu audiviſſet, omnia contemnens, in quibus felicitatem conſiſtere vana opinione ductus, putaverat, proclamaſſe dicitur poſt Platonis diſputationem: O vitam verè beatam, ac felicem! Audivit Platonem diſſerentem non de divitiis, non de triremibus, aut nauticis rebus, neque de ſupplementis, aut quemadmodum auxilium eſſet ferendum, nec de tributo ſociorum, ſive inſulanis, neque de ſimilibus nugis, ac næniis, ſed de illis, quæ profitebatur Plato, quibus veram felicitatem (contemptis omnibus) aſcribebat, *Ælin. l.2. de var. hiſt.*

Aristoteles, percontanti, quid lucri cepiſſet ex philoſophia? Ut ea, inquit, nullo imperante faciam, quæ vulgus facit metu legum. Idiota à furto abſtinet, quia lex minatur pœnam: Philoſophus abſtinet, quia per ſe turpe eſt, etiamſi liceat C impune. *Laert. lib.5. cap. 5.*

Lacedæmonii literas quidem diſcebant ad uſum, cæteras verò diſciplinas exoticas eiiciebant: nec minus homines harum profeſſores, quàm ipſos libros. Hæc autem erat illorum eruditio, bene parere Magiſtratibus, patientem eſſe laborum, & in prælio aut vincere, aut mori. Hoc animo fuerunt olim & Romanorum quidam, qui philoſophos Græcos urbe pepulere, quod curioſis diſciplinis averterent juventutem ad otium, & ignaviam, redderentque ad diſſerendum quidem inſtructos, ad agenda verò Reip. munia inutiles. *Eraſm. ex Plut. in Lacon.*

Demonax rogatus à ſophiſta quopiam: Quod viaticum attuliſſet ad philoſophiam? Admodum Cynicè repondit, ὄρχεις, id eſt, teſtes. Significans, ſe nudum acceſſiſſe. *Eraſmus 8. Apophı.*

Dionysius Junior poſteaquam regno fuit expulſus, cuidam dicenti. Quid tibi Plato & philoſophia profuit: Ut tantam, inquit, fortunæ mutationem facilè feram. Neque enim ſibi manus admovit, quod alii ſolent: ſed Corinthi ludum literarium aperuit, *Plut.*

Demetrius Phal. cùm exularet, ac Thebis inglorius, D humiliſque viveret; audiſſetque Cratem philoſophum, qui ipſum inviſeret, multa placidè, prudenterque de moderatè ferendo exilio diſſerentem. Male ſit, inquit, negotiis, & occupationibus, per quas hactenus talem virum non licuit cognoſcere. *Laert. lib.5. cap. 5.*

Philippus Alexandrum filium hortabatur, ut auſcultaret Aristotelem, cui traditus erat inſtituendus, daretque operam philoſophiæ: Ne inquit multa committas, quæ me feciſſe nunc pœnitet, Perſpexit egregius Princeps, neminem philoſophiæ expertem regno idoneum eſſe, nec puduit fateri, ſe multa per errorem feciſſe perperam, quod à teneris unguiculis philoſophiæ præceptis non fuiſſet imbutus. Nam qui experimentis diſcunt adminiſtrare regnum, licèt ingenio feliciſſimo nati ſint, tamen & ferò, & magno Reipublicæ malo tandem evadunt boni reges. At qui philoſophiæ præceptis præmunitus accedit, ſi adſit mens integra, vix poterit ab honeſto deflectere. *Plut. in apopb. Regum, & Imperat.*

Alexander cùm eſſet Corinthi, adiit Diogenem pro dolio ſedentem, cumque eo multa collocutus eſt: à quo digreſſus, indignantibus amicis, quòd Rex illi cani tantum habuiſſet honoris, qui tanto Principi nec aſſurgere dignaretur: Immò inquit, ni Alexander eſſem, Diogenes eſſe vellem. Adeò E demiratus eſt animum illum liberum, ac rebus humanis omnibus ſuperiorem, ut nihil regno ſimilius eſſe judicaret. Præcipua regum felicitas eſt, quòd nulli ſerviunt: ſed quicquid volunt, facile efficiunt: tum quod nullius egeant: atqui hoc ipſum homini præſtat philoſophia multo veriùs, quàm regnum Monarchis. Quanquam Alexander majus quiddam exiſtimabat quàm Regem eſſe. *Laertius lib.6.*

Polycletus dicere ſolebat eorum opificium eſſe moleſtiſſimum quibuſcunque lutum perveniret ad ungues. Plaſtas opinor, ac figulos notans. Admonuit autem, eas artes exercendas, unde non conſpurcaretur opifex. Tale nimirum eſt philoſophiæ ſtudium. *Eraſm. lib.6. apopb.*

Christianorum.

Quis te rerum divinarum, humanarumque ſedula indagatrix Philoſophia digno elogio concelebret? quæ vitæ dux ejuſdem tranquillitatem largita es, & terrorem mortis (ſi Tullio fides) ſuſtuliſti. At verè te ſuſtuliſſe, declaravit Chriſti Martyr Theophilus. Apud quem dum Sapritius Præfectus inſtaret, ut mente, cultuque mutato, rurſus à vero Deo deſciſceret ad F Idola, aliàs miſera morte mulctandus, verus Dei amicus, Summa, ait, ſapientia eſt, ut Philoſophiam declarem erga omnes meos affectus, & tuos cruciatus nihil timeam. Cui Præſes: Ergone tormentis requiem, morti vitam poſtponis? Ille: Ego & tormenta timeo, & mortem perhorreſco, ſed illa tormenta quæ finem non habent, illam mortem, quæ æternas tenebras patitur. *Sur. Tom. 1. in vita S. Dorotheæ.*

Bellum fatale in Perſas ſuſcepturus Julianus, cùm ſibi obvium haberet Baſilium, clamabat: Ego te. Baſili, in Philoſophia excello. Cui Baſilius lento gradu pertranſiens: Utinam Imperator Philoſophus eſſes! inſinuans, non in tot, tantoſque errores prolapſum fuiſſe, ſi Philoſophiæ ſedulam operam impendiſſet: hæc enim, ſi ulla eſt alia,

——*recto vivere talo*
Ars dedit, ut veri ſpeciem dignoſcere poſſit,
Ne qua ſubærato mendoſum tinniat auro:
Quæque ſequenda forent, quæque evitanda viciſſim,
Illa priùs creta, mox hæc carbone notares. G

Sur. Tom.1. in vit. Baſilii Martyr. Beyerlinck in Apophtb. Chriſ.

Erat Coſmas Monachus, quo præceptore uſus olim Damaſcenus, Philoſophiæ profeſſor eruditus. Qui rogatus de ſtatu ſuo, & profeſſione, totus in lachrymas ſolvebatur; advenit ſolatium laturus Damaſceni pater, & an ne vitæ, & mundi, cui renuntiarat, amiſſionem fleret, rogat; qui ait: Nequaquam: ſed id unum me affligit, quòd, cùm artium omnium diſciplinis imbutus ſim, hactenus mihi negatum, ut per Philoſophiam filium mihi ſimilem generem: quo aurea illa Philoſophorum progenies ſemper in mundo conſervetur. *Ex vita Joan. Damaſceni, apud Sur. Idem ibidem.*

* Philosophia inanis, et vana, Quæ ab apostolo, et Patribus reprehenditur.

Ubi de Hæreſi Philoſophorum.

Coloſſenſes Apoſtolus hortatur, per Epiſtolam è vinculis ſuis Romanis ad eos ſcriptam, ne quis eos ſeduceret, aut deprædaretur; eſt enim Græcum συλαγωγῶν; per Philoſophiam, H & inanem fallaciam. Ubi non omnem damnat Philoſophiam, ſed illam, quæ ſit fallacia, & ſuperſtitio gentilitatis, quam vocat 1. *Tim. ult.* falſi nominis ſcientiam, quales erant illæ ſpeculationes Angelorum, & Deorum quorumdam mediorum, quibus libri Platonis replentur.

Tempore autem Apoſtolorum Apollonius Thyanæus, & alii circuibant regiones, ut populum à Chriſto deducerent ad ſua dogmata. Reprehendit etiam Philoſophiam Epicuri tollentis providentiam, & collocantis inter Deos voluptatem.

Simonis inſuper Magi, & ſimilium, quos ex figmentis Platonis ſua dogmata velut Centones confarcinaſſe notarunt Veteres. Unde *Tertullianus lib. de anima, c. 3.* Philoſophos appellat Patriarchas hæreticorũ. *Idem lib. de præſcriptionib. c.7.* Hæreſes, inquit, à Philoſophia ſubornantur. Inde Æones, & formæ neſcio quę, & Trinitas hominis apud Valẽtinũ; Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate; à Stoicis venerat. Et uti anima interire dicatur, ab Epicureis obſervatur. Et ut carnis reſtitutio negetur, de una omniũ Philoſophorũ ſchola ſumitur. Et ubi materia de Deo æquatur, Zenonis diſciplina

eſt. Et ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus invenit: eædem materiæ apud hereticos volutantur, iidem retractatus implicantur.

Magis particulatim, & fusè *Irenæus lib. 2. contra hæreſ. 19.* recenſent, quæ dogmata à quo Philoſopho mutuati ſint Talentiniani, & Gnoſtici. Thales quidem Mileſius, inquit, univerſorum generationem, & initium aquam dixit (idem autem eſt dicere aquam, & bythum, id eſt, profundum, quod inter ſuos Æones ſtatuunt Valentiniani) Homerus autem Poeta Oceanum Deorum geneſin, & matrem Thetin dogmatizavit, quæ quidem hi in bythum, & Sigen tranſtulerunt. Anaximander autem id, quod immenſum eſt omnium initium ſubiecit, ſeminaliter habens in ſemetipſo omnium geneſim, ex quo immenſos mundos conſtare ait, hoc autem in bythum, & Æonas transfiguraverunt. Anaxagoras autem, qui & Atheus cognominatus eſt, dogmatizavit facta animalia, decidentibus è cœlo in terram ſeminibus, indeque Æonem, quem ſenſum vocavere, acceperunt. Sic ex Democriti, & Epicuri, & atomis ejuſdem, ſuum ſumpſerunt Pletoma. *Et inferius*. Hoc autem quod ex ſubjecta materia dicunt fabricatorem feciſſe mundum, & Anaxagoras, & Empedocles & Plato primi ante hos dixerunt.

Denique quòd Deum neceſſitatis ſervum facerent, id eos ex fato Stoicorum accepiſſe. Et poſt pauca ſubdit: Quod autem ſalvatorem ex omnibus factum Æonibus eſſe dicant, omnibus in eum deponentibus velut florem ſuum, ex Heſiodi Pandora acceperunt. Ipſam autem edulium, & reliquarum operationum indifferentem ſententiam, & quod putent à nemine in totum ſe poſſe coinquinari propter generoſitatem, licèt quodque manducent, vel operentur, à Cynicis poſſederunt, cùm ſint cum eis ejuſdem teſtamenti. Minutiloquium autem, & ſublimitatem juxta quæſtiones, cùm ſit Ariſtotelicum, inferre fidei conantur. Quod autem velint in numeros transferre in univerſum hoc, à Pythagoricis acceperunt.

Itaque Philoſophia, quam Apoſtolus damnat, non eſt à Deo revelata, ſed ab hominibus vanis, & errantibus conficta, ideòque vana, & mendax. Talia ſunt axiomata, & principia veterum fidei noſtræ repugnantia. Ut ex nihilo nihil fiat: A privatione ad habitum non fit regreſſus: Mundus eſt æternus: Omnis ſubſtantia rationalis per ſe ſubſiſtit, & pleraque his affinia, quæ in naturalibus obtinere excepto tertio, conſtat, non tamen in ſupernaturalibus, alioquin tolleretur Creatio, miracula, veritas Chriſti in Euchariſtia, myſterium Incarnationis, & alia pleraque. Eſt igitur hæc Philoſophia dumtaxat ſecundùm elementa mundi, id eſt, principia ſapientiæ mundanæ, quæ eſt alia ab illa, quam Chriſtus ſuos docuit.

INVENTORES PHILOSOPHIÆ.

☞ *Exempla ex Vit. Sapientum, & Philoſophorum petantur, tautologiæ vitandæ cauſa: hìc Inventio, illic Poſſeſſio ipſius habitus ſpectatur.*

DOCTORES, MAGISTRI PHILOSOPHIÆ.

Sapphro Aſſyriorum, & Orthopolo Sicyoniorum, & Criaſo Argivorum regnantibus Regibus, fuiſſe à quibuſdam creditur Prometheus, quem propterea ferunt de luto formaſſe homines, quia optimus ſapientiæ doctor fuiſſe perhibetur: nec tamen oſtenditur, qui ejus temporibus fuerint ſapientes, *Aug. lib. 18. de Civit. Dei cap. 8.*

Homerus ſub fabularum involucris Phyſica, & Ethica tractavit. Neque alienum à ratione videri debet, ſi quædam per ambages, & fabulas indicavit. Hæc enim cauſa eſt poeſeos, iſque mos veterum, ut & qui diſcendi ſtudio tenentur, quadam ſubtilitate illecti, eò faciliùs inquirerent veritatem, atque invenirent: & indociles ea non contemnerent, quæ nequirent aſſequi. Neſcio enim quomodo id, quod occultè dicitur, in admiratione habetur: cùm contrà vile videatur, quod manifeſto effertur. *Plut. de Homero.*

Socrates, cùm ſpectris, fabulis, & ſuperſtitione refertam accepiſſet à Pythagora, & Empedocle philoſophiam, atque ad miram inſaniam perductam, aſſueſecit in rebus ipſis prudentiam quærere, & ſobria ratione perſequi veritatem. *Plutarchus in Soc. dæmonio.*

Socrates in activa excelluiſſe memoratur: Pythagoras verò magis contemplativæ, quibus potuit intelligentiæ viribus inſtitiſſe. Plato utrumque jungendo Philoſophiam perfeciſſe laudatur, quam in tres partes diſtribuit. Unam moralem, quæ maximè in actione verſatur. Alteram naturalem, quæ contemplationi deputata eſt. Tertiam rationalem, qua verùm diſtinguitur à falſo. Quæ licèt utrique, id eſt, actioni, & contemplationi ſit neceſſaria, maximè tamen contemplatio perſpectionem ſibi vindicat veritatis. Ideò hæc tripartitio non eſt contraria illi diſtinctioni, qua intelligitur, omne ſtudium ſapientiæ in actione, & contemplatione conſiſtere, inquit *D. Auguſtinus lib. 8. de Civ. Dei.*

Euseb. *lib. Præparat. Evang.* hanc Platonis Philoſophiȩ ſectionem ab Hebræis derivatam eſſe dicit, affertque ſententiam Attici Philoſophi, qua diviſio illa declaratur apertiùs, docetque, Platonem conjunxiſſe partes omnes Philoſophiæ in unum velut corpus, diſperſas priùs, ceu membra Penthei: nam Thales, & ejus diſcipuli phyſicæ totos ſe tradiderant: ſex alii ſapientes, ethicæ: Zeno, & omnes Eleatici, dialecticȩ. Plato hæc omnia coagmentavit, & oſtendit hominibus, non laceram Philoſophiam, ſed integram, atque abſolutam: cui ſuffragatur *Ariſt. ipſe lib. 7. Philoſ. Laertius in Plat.* Philoſophiæ ratio olim circa unam tantùm phyſicæ ſpeciem verſabatur: acceſſit Socrates, & addidit ethicen: tertiam Plato Philoſophiæ dialecticen adjecit, & conſummato Philoſophiæ operi extremam manum impoſuit. Apulejus in dogmate Platonis, de ipſo loquens: Quapropter inventa Parmenidis, ac Zenonis ſtudioſiùs executus, ita omnibus, quæ admirationi ſunt ſingula, ſuos libros explevit: ut primus tripartitam Philoſophiam copularet, ſibique invicem neceſſarias partes, neque pugnare inter ſe tantummodò, ſed etiam mutuis adjuvari auxiliis oſtenderit. *Lud. Vives ibidem.*

Diceneus, Straboni Ceneus, Philoſophus Ægyptius, Boroiſtram (quem Bonfinius vocat Boſtuſcam, Crantzius l. 1. Sveciæ Berobiſtam) Getarum regem Philoſophicis ſtudiis erudivit, & regis exemplo populum quoque ad ſapientiæ amorem ſub Auguſto Imper. excitavit. Præterea ut juſtitiam colerent, pacificèque viverent, leges Getis præſcripſit: quas in unum volumen compactas lingua Gothica Belagines appellavit. Atque ut Rex ſapienti conſiliario paruit, ita populi prudenti regi in omnibus obediverunt. Siquidem ingentis obedientiæ argumentum erat, quòd à Diceneo perſuaſi, vites excidere, & ſine vino vitam agere conſenſerunt. *Joan. Magnus lib. 3. cap. 18. & Bonfinius lib. 2. Dec. 1.*

Antiochus Aſcalonita fuit, docuitque Ciceronem, Varronem, Lucullum, & alios pleroſque nobiles Romanos, ſequebaturque veterem Academiam, ſed ita, ut ad Zenonicam ſectam inclinaret: eamque non tam Stoicam diſciplinam novam vocandam autumabat, quàm antiquæ Academiæ correctionem: idcircò ejus Antiochi, & de aliis rebus permultis, & in primis de ſummo bono ſententia, Bruto, qui ejus fratrem Ariſtium audiebat, cæteriſque Stoicis vehementer probatur. *Lud. Vives in lib. 19. Aug. de Civit. Dei, cap. 3.*

Hiſpani duo Philoſophi Athenas profecturi, vi tempeſtatis in Scotorum litus ejecti, & ad regem Joſinam ducti, hoſpitalitatis ergo, ſolum Scoticum majores divitias intra ſua viſcera, quàm in ſuperficie continere edocuerunt, & ad metalla inquirenda animos addidere: quinetiam, ut ferarum abdicato cultu (quem à majoribus ſuis Ægypto oriundis acceperant) unum Deum cœli colerent, non paucis perſuaſerunt. *H. Boethius lib. 2.*

Fridericus II. Imp. libros Ariſtotelis omnes, & pleraque alia, in ſacris & profanis literis, univerſamque Philoſophiæ ſupellectilem ex Græco, atque Arabico, per interpretes doctiſſimos vertendam curavit, & Academiis legendam exhibuit. Quibus rebus ſe à teneris unguiculis oblectatum fuiſſe profitebatur.

Conſtituerat in animo ſuo Alexander de Ales, Philoſophus ſummus, nihil cuiquam denegare, qui precibus ſuis interponeret divam Mariam. Ergo Minorita quidam cum his verbis aggreſſus eſt. Innotuiſti mundo, magnum habes ubique nomen: ſed vide an hæc via ſit ad æternitatem. Vides ordinem pauperum fratrum Minorum, in quo multi ſimplices, & boni fratres, ſed pauci docti: qualis, & quanta meſſis tibi offerretur? Adeòque obſecro te per divam Mariam, ut nobis te adjungas. Ille miſſum à Deo credidit hominem, & quia per nomen B. Mariæ rogatus fuerat, conſenſit, & ordinem ingreſſus eſt Minorum. *Crantzius lib. 8. Metrop. cap. 21.*

DISCIPULI PHILOSOPHIÆ.

☞ *Vide Titulum Diſciplinæ, Qui didicere. Item, Philoſophiæ ſtudium.*

Ergamenes Rex Æthiopum, Grȩcis doctrinis, & Philoſophiæ deditus fuit. *Diod. l. 3. c. 1.*

Reges Ægyptiorum ex bellacibus deſignati confeſtim in ſacerdotum collegium allegebantur, veniebantq; in conſortium Philoſophiæ tectæ propemodum fabulis, quæ exilia veritatis ſimulacra, & ſcintillas continet. *Diodorus.*

Plato Athenienſis, cùm Dei cujuſdam ductu Siciliam liberare volentis in Siciliam appuliſſet, Dionis primùm, qui frater erat Ariſtomaches, Dionyſio Majori tyranno Syracuſanorum nuptæ, amicitia uſus, per illum quoque tyranno innotuit. Dion quamvis tinctus moribus eſſet ſub tyranno objectis, vitæque obnoxiæ, & trepidæ arroganti famulitio, inſolentibus deliciis aſſutus, ut primùm tamen doctrinam guſtavit, & Philoſophiam ad virtutem ducem, illicò eſt ad eam animo incenſus: atque ex ſuo ad honeſtatem proclivi animo ſimpliciter planè, & juveniliter exiſtimans ab iiſdem præceptis pariter Dionyſium motum iri: contendit, & effecit, ut per otium illi conveniret & audiret Platonem, ſed abſque fructu. *Plut. in Dione.*

Veniens in Siciliam Plato evocatus à Dionyſio tyranno primo adventu eximio honore eſt exceptus, & Tyrannus tanquam magno bono imperium ſuum eſſet auctum, ſacrificavit. Pudor in cõviviis, aula compoſita, atque ipſius tyranni in omnibus reſponſis, judiciiſque lenitas ſpem civibus miram præbebat converſionis. Ardor erat ad diſciplinas, & Philoſophiam omnium. Tyrannidis ſedem, ut fama eſt, pulvis occupat, ob numerum eorum qui Geometriæ incumbebant. *Idem.*

Liſimachus Macedo qui, poſteà ad regnum Thraciæ pervenit, claris ortus natalibus, ſed militari gloria, & laude ingenii clarior, adeò Philoſophiæ ſtudiis ab initio captus fuit, ut Calliſthenem, quem ob conjurationis ſuſpicionem Alexander occidit, auribus, naſo, labiis, crudeliter truncis, cavea cum cane incluſum audire perſeverarit, eique in remedium malorum; venenum miſcuiſſe ſit creditus, tuliſſetque id ille à rege ſuperbiſſimo haudquaquam impunè, niſi major fuiſſet virtus quàm ſupplicium. *Sab. lib. 7. Enn. 4.*

Porphyrius Romæ Plotinum audiebat. Verùm & rerum altitudine, & Plotini affectata obſcuritate victus, concepto corporis, vitæque odio, clàm in Lilybæum Siciliæ abiit, ibique converſationem hominum averſatus, ſuamque infelicitatem deplorans, inedia ſemetipſum perimere volebat. Plotinus ejus morbum ſubodoratus, decumbenti ſupervenit, & remotis verborum involucris cum eo diſſerens, à mortis limine revocavit. Sermones inter ipſos habitos, in ſcripta retulit Porphyrius: & deguſtatato perſpicuitatis remedio ita delectatus eſt, ut philoſophorum porrò myſteria omnia ſcriptis Commentariis illuſtrare fuerit conatus. Proinde uti Plotinus ob ingenii vim cœleſtem, & dictionem ænigmaticam à populari captu alienus: ita Porphyrius tanquam Mercurialis quadam catena ad mortales demiſſà, cuncta apertè, dilucidèque explicabat. *Eunapius.*

SAPIENTES, PHILOSOPHI.

Cùm homo Dei imitatione ad agendum ſit, & contemplandum natus: Cõtemplationi Rerum cognitio propoſita eſt, Actioni verò ſuiipſius. Ergo jam inde à primo hominum ortu inventi ſunt, qui non modò in agendo, verum etiam in contemplando exercerentur. Ab actione viri Boni, à contemplatione Sapientis appellabantur. Hi apud Barbaras gentes aliis, atque aliis nominibus celebres habiti ſunt. Apud Græcos verò σοφοὶ *primum fuere dicti, quaſi ſapientiæ poſſeſſores: mox etiam* Σοφισαὶ*, à ſapientiæ profeſſione, quodque eam methodo adbibita alios docere poſſent. Pythagoras nominis inſolentiam exoſus, non ſe* Σοφὸν*, quòd hoc nomen ſoli Deo conveniret: non* σοφιςὴν*, quòd arrogantis eſſet, earum rerum cognitionem aliis polliceri, quarum ipſe vix umbra attigiſſet: ſed* φιλόσοφον *appellari voluit, Amatorem ſcilicet ſapientiæ, Quam Pythagoræ modeſtiam ita ſunt amplexi poſteri, ut ſtulto τ* Σοφȣ*, ſuperbo τ* σοφιςȣ *nomine repudiato, Philoſophos ſe porrò pro Sapientibus, & Sophiſtis dici mallent. Cæterùm ut inſtabilia ſunt humana omnia, Imperatorum Rom. temporibus Sophiſtæ appellatio denuò honorifica cœpit eſſe, cùm quicumque dicendo valerent, & ex Rhetorica quæſtum facerent, eo ſe nomine dign[illegible]ri gauderent. Itaque Sophiſtas appellabant eloquentiæ profeſſores. Philoſophos verò, & Sapientes eos, qui rerum cognitionem, divinarum præſertim, atque adeò ipſius magiæ, traderent: quos Tacitus Sapientiæ profeſſores nuncupat. Quorum vitas Philoſoſtratus, & Eunapius perſecuti ſunt. De ſapientibus ergo, & Philoſophis hoc Titulo agimus, quatenus in genere docti, & eruditi homines eſſe judicantur. Cæterùm quia & Sapientia, & Philoſophia multis modis dicuntur, operæpretium erit de his vocibus quantum ad rei cognitionem ſatis erit, in medium afferre. Sapientia itaque, ſive* σοφία *perfectiſſimum habitum Theoricum ſignificat. Habitus vel generalis eſt, & omnium rerum principia, & effectus cognoſcit: vel particularis, qui alicujus rei naturam tantùm aſſequitur; Priori ſignificatione ſapientes* σόφυς *vocarunt omnes eos, qui rerum cœleſtium, naturalium divinarum cognitionem haberent, & in illarum inveſtigatione potius quàm in Reip. adminiſtratione verſarentur. Teſtis eſt Ariſt. in 6. Eth. inquiens:* διὸ Ἀναξαγόραν καὶ Θαλῆν καὶ τοὺς τοιούτους σοφοὺς μὲν, φρονίμους δ' οὔ φασιν εἶναι, ὅταν ἴδωσιν ἀγνοοῦντας τὰ συμφέρονθ' αὑτοῖς καὶ περιττὰ μὲν καὶ χαλεπὰ, καὶ θαυμαστὰ καὶ δαιμόνια εἰδέναι αὐτοὺς φασιν ἄχρηστα δ' ὅτι οὐ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ ζητοῦσιν. *At poſteriore ſignificatione eos ſapientes vocamus* κατὰ μέρος*, (ut Ariſtoteles inquit) qui in aliqua ſcientia theorica, vel arte machanica excellentiſſimi ſunt. Sic Phidiam ſapientem ſtatuarium, Hippocratem ſapientem medicum, Ariſtarchum ſapientem grammaticum appellamus: quoniam ad ſummum ejus artis, quam profitentur, pervenerunt. Tot igitur Sapientiæ particularis ſpecies erunt, quot erunt habitus theorici, & factivi. Inter Theoricos rurſus, cùm Theologia ſubiecti dignitate cæteros omnes vincat, certè Sapientiæ vocabulum ei potiſſimum conveniat. Eapropter* Σόφιαν *appellare conſueverunt, &* πρώτην φιλοσοφίαν *excellentiæ habita ratione. Cùm ergo Sapientia alia ſit univerſalis, quæ uno veluti faſce omnes theoricos habitus complectitur, cujus vera poſſeſſio in ſolum Deum cadit, uſurpatio & uſusfructus quidam umbratilis in hominem: alia verò particularis, quæ ſingulos habitus theoricos continet: nos de univerſali illa hoc loco agemus, particularem in ſingulis ſpeciebus poſtea declaraturi.*

SECTÆ PHILOSOPHORUM.

Hebræi, Chaldæi, Ægyptii.

Hebræorum ſapientiæ ſignum illud certiſſimum eſſe, *Joſephus lib. 2. contra Apionem* aſſerit, quòd cùm Græcorum Philoſophia in varias ſit diducta ſectas, Hebræorum ſemper una permanſerit.

☞ Caballistæ *qui ſint, vide Loco proprio.*

Antiquitas, Ægyptiorum ſacerdotes tantoperè fuit admirata ſapientiæ nomine, ut præſtantiſſ. Græcorum Philoſophi ad eos peregrinati ſint, eruditionis cauſa. In Magia excellebant, & eandem diſcere volentibus communicabant, cum religione non impedirentur, ut Judæi: qui ſecretiores & acroamaticas diſciplinas (quas Caballiſtica vocant) Gentilibus non circumciſis manifeſtare nefas eſſe ducebant. Eo factum, ut quamvis vera ſapientia apud Judæos eſſet, ex Ægypto tamen peteretur, quòd illic venialis proſtaret. Pythagoram certè cum Judæis ſacerdotibus converſatum, hiſtoriæ produnt, non priùs tamen, quàm Judaicis ſacris initiatus eſſet, Potuit igitur tantiſper religionem ſimulare, donec ſapientiam ab illis extorſit: poſteà ad vomitum rediit. Heliopolim dicunt olim ſacerdotum habitationem fuiſſe, Philoſophiæ, & aſtronomiæ deditorum. Strabonis ætate is ordo ac ſtudium defecerat, ne quiſquam tali exercitio præerat, ſed homines tantum, qui ſacrificia curarent; atque ritus eos peregrinis commonſtrarent. *Strabo. lib. 17.*

Chaldæi Babyloniorum antiquiſſimi, eum locum in ſua rep. quem in Ægypto ſacerdotes obtinuere, hi per omnem vitam Philoſophari, aſtrorum peritiam tenere: nunc auguriis, nunc carminibus ſacris, mala hominibus avertere, bono afficere, auguria, inſomnia, prodigiaque fida interpretatione explanare. Nec foris inſtituebantur, ut Græci, ſed à parentibus diſciplinam velut hæreditariam ſortiri pueri domeſticè diſcebant: qua perpetua cura, facilis ſequebatur provectus, una conſtanſque diſcendi ratio, non varia & anceps, qualis apud Græcos, ubi qui eam tradere conſueverunt, varia de principiis, & rerum cauſis, atque inter ſe repugnantia diſſerebant. *Sabel. lib. 2. Enn. 2. ex Diod. lib. 2.* Extat de his vetus oraculum *apud Euſeb. lib. 9.* de Præp. evang.

μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι,
αὐτογένεθλον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.
Chaldæis quæ vera eſſet ſapientia tantùm,
Hebræiſque ipſis conceſſum agnoſcere, pura
Æternum qui mente colunt regemque, Deumque.

Indi.

Brachmanes apud Indos, aliàs Gymnoſophiſtæ, Abraham patriarchæ filii ex concubinis, in Orientem à patre ſuo cum donis ablegati dicuntur, *lib. Geneſeos.* Dona proculdubiò maxima, & ampliſſima fuere, artes & diſciplinæ reconditæ, Aſtrologia vera, ipſa denique Magia naturalis, qua non olim tantùm per totum terrarum orbem celebres erant, verumetiam adhuc hodie (ſi veræ ſunt Luſitanorum navigationes) tantum pollent, ut cum ſeparatis intelligentiis pro libito verſentur. Eos ex Oneſicriti ſententia partitur *Strabo lib. 15. & Plin. lib. 7. c. 2.* bifariam, alios Brachmanas vocans, alios Germanas.